Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

2

THEOPHILI HOGERSII

ORATIONES
TRES,

De tyrannide Iulii Cæſaris,
De patria fortiter defendenda,
De pace Batavorum & Britannorum.



AMSTELODAMI,
Apud DANIELEM ELSEVIRIUM,
cIↄ Iↄc LXXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

THEOPHILI HOGERSII

ORATIO

C. Julium Cæſarem tyrannum fuiſſe.

OMnes animantes ingenio ſuo libertatem amant atque concupiſcunt: nullis illecebris aut eſcis exquiſitiſſimis; non ſericeis vinculis aut carcere aureo adduci poſſunt, ut illi, quamvis miſeræ ac omnium rerum egenæ, præferant ſplendidam cunctiſque copiis refertam ſervitutem. Homo, ut beſtiis ingenii bonitate longe antecellit, ita impenſius inſtinctu ejuſdem libertatem appetit, abhorret à ſervitute. Hinc eſt, quod feræ & barbaræ gentes tot bella geſſerint, tam acriter reſtiterint, ne jugum ſubirent vel mitiſſimi ac optime morati populi, à quo frangi & domari profuiſſet. Tantum ſcilicet libertatis amorem natura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

barbarorum etiam animis ingeneravit, ut malint mortem oppetere, aut inopem & rationis expertem modo liberam vitam degere, quam opibus inſtructi & ad humanitatem formati, ſervire. Immo vero nemo unquam mortalium, naturam optimam ducem ſecutus, quicquam in vita melius libertate, quicquam pejus ſervitute exiſtimavit. Sed ſicuti ſemper inventi ſunt ſcelerati atque improbi homines, qui ambitione præcipites acti aliorum libertatem everſum iverunt, ita nunquam defuêre ſervilia ingenia, qui vel præmiis à tyrannis deliniti, vel deſidia ac luxu effœminati jugum pronis humeris acceperunt ac pertulerunt. Quamvis hi ignavi pœna quam ſibi propriis vitiis accerſiverunt non indigni videantur, atro tamen carbone notandi ſunt omnes illi, qui improba regnandi face concitati miſeros populos circumvenerunt atque oppreſſerunt. Hujuſmodi monſtra in ultimas terras deportanda omnia ſæcula ubivis gentium peperêre; neque ulla unquam civitas extitit, quæ non aliquando ſub dominis fuerit. Ne de Aſia dicam, & ſueto regibus oriente: delicati enim illi & ignavia fluentes ſemiviri non potuere abſque rectore vivere, qui fræna imperii moderaretur, & paci belloque leges imponeret, dum ipſi interim in ganeis & popinis quieti ac ſecuri deſi-

deſiderent, vitamque ſilentio tranſigerent. Europa ipſa, quamvis minus peccantibus parata, ab hoc tamen malo non immunis fuit. Ut præteream ignobiles & incultas gentes: ut taceam feraciſſimas tyrannorum inſulas. nonne duo illius lumina Athenæ ac Roma eandem paſſi ſunt calamitatem? Ille Græciæ ocellus, illud ſapientiæ templum, nobiliſſimumque orbis terrarum gymnaſium, quæ prima ingenuis artibus mores emollivit, prima barbariem terris expulit; & quod caput eſt, libertatis pulchritudinem tantis laudibus extulit & prædicavit, ut illius amore omnium nationum animos inflammaverit, & Piſiſtratidarum & triginta dominorum jugum effugere non potuit. Sed Roma in primis, iſta victarum gentium Dea, caput orbis, urbs æterna innumeros pertulit imperii uſurpatores. Non loquor de regibus, quos in principio habuit; qui ad ejus majeſtatis faſtigium ſpectata inter bonos moderatione provecti ſunt. Omitto illorum ultimum; qui, ſicut tyrannorum more regnum adeptus tyrannice adminiſtravit, ita tyranni cognomine duratura in omne ævum infamia notatus, tyranno dignum exitum habuit. Prætereo Melios, Caſſios, Manlios, Marios, Cinnas, Syllas, Catilinas, Antonios, qui vel affectaverunt vel occupaverunt

tyrannidem, atque hoc infami titulo inſcripti ſunt. illi, illi Divi, Cæſares, Auguſti, patriæ patres, pii, felices, quocunque demum pulchro cognomine inſigniti ſint, in iſtam mihi claſſem omnes conjiciendi. Quicunque enim vel vi vel dolo arcem invadit, tyranni nomine juſtiſſime cenſetur. Sed ut aliqua ex parte ignoſci poteſt illis, qui regna, veluti relictam à parentibus hæreditatem adierunt: ita nullatenus excuſari poſſunt, qui liberum populum, ſpretis divinis humaniſque legibus, in ſervitutem redegerunt, & fundamenta tyrannidis jecerunt. Itaque cum C. Julius Cæſar princeps Rom. imperium occupaverit, ac liberis & poſteris hæreditarium reliquerit, familiam inter Romanorum tyrannos ducere mihi videtur. Idque nunc demonſtrare conſilium eſt: tum ut lumina illis aperirem, qui dotibus hujus hominis, velut oculiferiis, præſtricti, ſub virtutum phaleris latentia vitia non vident; tum ut cives exemplo monerem, & ad libertatem majorum ſanguine emptam conſervandam adhortarer. Ut igitur intus illum & in cute, quod aiunt, noſcamus, tota ejus vitæ à pueritia uſque percenſenda atque excutienda ſeries. Sicut enim haud facile quiſquam ad ſummam virtutem pervenit, niſi cui in pueritia morum indoles fuerit & bona ſpes

ſui: ita rariſſime à probo & ingenuo juvenilis animi impetu ad prava conſilia quis deſcivit; & in puerili ætate modeſtiam & temperantiam præ ſe tulit, qui poſtea profligatiſſimus, & in omnia ſcelera projectus fuit. Cæſar ſicut ab ultima pueritia uſque immoderata ſemper & nimis alta mente agitavit; ita in primo ætatis flore omnia ſua conſilia omneſque actiones eò direxit, nihil intentatum, nihil inviolatum reliquit, ut illa indipiſceretur. Admodum enim juvenis ac tantum non puer Jovis ſacerdotium petiit, per illum gradum ad ſummos honores aditum patere exiſtimans. Noverat enim, nullum auguſtius in terris nomen, nullum venerabilius populo videri, quam illorum qui ſacris præeſſent, qui peccata hominum expiarent, qui Deos iratos placarent, qui illorum voluntatem atque nutum mortalibus patefacerent, in ſumma, qui commercium cum cælo habere crederentur. Noverat illud ambitionis arcanum, in illorum manu eſſe, ſimulatis ſomniis & monitis Deorum, fictis notis in viſceribus animalium, fatis oraculiſque ementitis, quocunque velint mobilem populum impellere; huic exitium parare, alteri dignitatem ſummam adſtruere; omnibus denique modis in ſummorum virorum fama atque opibus graſſari poſſe. Quanti autem erat illius ordinis commo-

dis ſervïendo, placita aſſerendo & potentiam audacter vindicando gratiam acquirere? illius, inquam, ordinis, cujus fides ſumma atque extra omnem judicii aleam poſita habebatur. Quis enim illis non crederet, quibus ſacra & ceremoniæ Deorum concreditæ eſſent, quibus vel injuratis teſtimonium dicentibus fides tribuebatur? Plane ut ab illis commendatus, non ſecus ac divina virgula deſignatus, reliquis omnibus licet longe dignioribus candidatis merito præferendus videretur. Sed quum hæc omnia ſumma duceret, videret tamen ſe illud obtinere non poſſe, niſi Syllæ & optimatum ſtudioſus eſſet, è re autem ſua potius putaret Marianas & plebis partes tueri, iſtud amittere, quam has deſerere maluit. Huic autem plebeiæ factioni mirum in modum deditus erat Cæſar, non tam quod apud Cottæ filiam & Marii conjugem educatus illius amorem cum lacte imbibiſſet, ſed vel præcipue quod cerneret illos qui populo gratificati eſſent, ad ſumma ſemper, & illa quæ animo ſuo jam invaſerat, perveniſſe. Habebat ante oculos Marios, Cinnas, alios, qui ambitione populari immenſam nuper in rep. potentiam conſecuti erant. Non ignorabat etiam Syllanos maxima invidia, quod victoriam in plebem crudeliſſime exercuiſſent, flagrare, ſpe-
rabat-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

rabatque ſi ſe populo vindictæ avido ducem aliquando præbuiſſet, fore ut non modo libentibus animis acciperetur, verum etiam, quod ab optimatibus unquam ſe aſſequuturum deſperabat, à levi & prodigo libertatis ſuæ vulgo ultro offerretur. Quamobrem hoc unice ſibi agendum duxit; plebi quibuſcunque in rebus velificari, potentiſſimorum urbis Pompeii Craſſique ac paucorum aliorum ſtudia quavis ratione complecti; reliquorum vero patriciorum & optimorum civium auctoritatem, quibus poſſet modis imminuere atque convellere. Non dicam de aſſectationibus & fœdis adulationibus quibus vel viliſſimos & ſordidiſſimos civium proſecutus eſt. Huc enim, (proh dolor!) recidimus, auditores, ut inter officia & civiles, ſi Diis placet, virtutes numeretur, ſalutare plebem & blanditiis gratiam quærere. Tanquam non deceret virtute & recte faciendo ambire, quam per fraudem allicere fautores & blandimentis puncta emercari. O degeneres animæ, qui nullam duriſſimæ ſervitutis conditionem recuſatis, ut vanum dominorum nomen & imperii umbram conſequamini; qui etiam contemptiſſimo homini aures datis, ad voluntatem loquimini, dicto audientes eſtis, benevolentiæ auram undique captatis, tecta noctesque diesque frequentatis, donis & muneri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

neribus conciliare ſtudetis, immo ſupplicatis, ad obtinendum dominatum, quo nulla fœdior ſervitus fuit. Servi, quorum corpus per fortunam in omnia obnoxium eſt, mentem ſæpe erectam gerunt & ingenuos ſpiritus. hæc mancipia, quum liberi nati ſint, animum gerunt abjectum & alterius arbitrio ſervientem. Ut verum fatear, is mihi demum liber & dominus videtur, qui non eſt alteri emancipatus, qui nihil dicit, nihil agit, nihil cogitat, niſi ex animi ſui ſententia. reliqui omnes non modo ſervi, verum etiam abjectiſſimi, quamvis nobiliſſima ſtirpe prognati, exiſtimandi ſunt. Sed ut è diverticulo, quo nos rei indignitas & perverſi civitatis noſtræ mores rapuerant, in viam redeamus; quorſum furioſæ illæ largitiones, tot epulæ, viſcerationes, munera, ludorum venationumque apparatus, tot immanes jacturæ infinitique ſumptus à Cæſare facti tendebant, quam ad ineſcandos plebei animos, quo ipſis poſtea ad lubitum abuteretur? Utinam hic ſtetiſſet illius hominis furor & non ulterius proceſſiſſet. Conniveri in his aliquo modo poſſet, quia nulla præſens comitabatur reip. pernities. Verum ad ejuſdem plebis gratiam captandam omnia divina humanaque jura perrupit, patrias leges evertit, morem majorum turbavit, agrarias ac turbulentiſſimas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

leges tulit, ferentibusque auctorem propugnatoremque acerrimum ſe præſtitit; intercedentes contra atque obnuntiantes legitimos magiſtratus collegasque ſuos vi & armis foro ejecit. Hoc qui illi ignoſcere velit, næ ille imaginem boni civis nunquam animo ſuo concepit. Quanto molimine autem & cura Pompeium aliosque huic ſimiles, & ipſos nimia cupientes obſtrinxit? quam omni officiorum genere vel intra dignitatem ſuam, ac ad fœdiſſimam humilitatem uſque, favorem illorum collegit? hoc ſcilicet agens, ut illorum opera in iſtud faſtigium extolleretur, è quo ipſos poſtea de ſuis locis facillime depelleret atque deturbaret. Neque neglexit regia & noſtro quoque ſeculo trita via graſſari, potentiamque ſuam affinitatibus fulcire: fruſtra vociferante Catone; his nuptiarum lenociniis imperia vendi & remp. prodi. Quam inimice contra ſenatum & omnes bonos inſectatus fuerit, quam illos omnibus modis vexaverit, exagitaverit, injuriis atque contumeliis affecerit, nemo qui vitam ejus vel per tranſennam inſpexit ignorare poteſt. Annon Syllæ acta, quod abſque maxima reip. permixtione fieri non poterat, tantummodo ut ſenatum male ureret, reſcindere tentavit? An non Saturnini, ſceleſtiſſimi & ſeditioſiſſimi tribuni cædem jure factam ulciſci; incendia-

rios contra urbis, parricidas patriæ, ſicarios ac percuſſores ſenatus, unoque verbo Catilinæ, (at qualis monſtri?) ſocios, omniumque Patrum ſuffragiis condemnatos, ſolus ſervare dignoque meritis eorum ſupplicio eripere ſtuduit? Horret animus narrare, & ipſa vox faucibus hæret, quam indigna atque acerba clariſſimi ac de rep. optime meriti cives ab ipſo perpeſſi ſint. Videre mihi videor Lucullum poſt conſulatum & Mithridaticos triumphos ſupplicem ad pedes ejus abjectum, & ſalutem magna ambitione rogantem; Ciceronem ante ipſum cognomine patris patriæ, ſed liberæ, ſed non ab oppreſſis civibus honoratum, ob ſervatam urbem & ſublatam pernitioſiſſimam reip. peſtem, illo auctore præcipuo in exſilium, à quo ipſe ſenatum ac omnes honeſtos cives liberaverat, per ſummam injuriam & ignominiam actum; Catonem, quo virum meliorem aut ſanctiorem civem Romanus orbis non vidit, impuris lictorum manibus ejuſdem juſſu atque imperio violatum, & è curia in carcerem, ſontis inſtar & noxii hominis, qui ſibi atque animo ſuo nullius unquam delicti gratiam fecerat, abreptum. Quid ſenatui tunc animi fuiſſe putatis, quum cerneret innocentiam ipſam è ſinu ſuo in ſceleratorum & maleficorum ſedem abduci, repugnante nullo, nemine aſ-

ſerente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ſerente aut vindicante innoxium caput, ne quidem contradicente (tantus omnibus tyranni metus & vocem præcluſerat) quum tacitus comitaretur, & altum dolorem corde premens ſatis ſuperque, quod unus effari auſus eſt, univerſus teſtaretur, ſe malle cum Catone in vincula duci, quam Cæſarem in curia regnantem videre? Verum enimvero quantam invidiam erga univerſos diverſæ factionis, ut loquitur Tranquillus, hoc eſt omnes bonos concepiſſet, nunquam manifeſtius apparuit, quam cum non modo Catoni, Ciceroni & Lucullo (quibus internecivas inimicitias indixerat) verum etiam Æmilio Paulo, Bibulo, Lentulo, Domitio, Bruto, aliiſque quamplurimis reipubl. capitibus & luminibus ſenatus unum exitium machinatus eſt, falſo indice, qui illos conjurationis contra Pompeii ſalutem argueret, ſubornato atque immiſſo. Unde autem tantum in illos odium manabat? quæ cauſa extitit tantæ immanitatis in ſummos & præſtantiſſimos viros? Libere nimirum de rep. loquebantur, improbis ipſius conatibus reſiſtebant, deplorabant præſentem ſtatum, conquerebantur judicia corrupta, nihil valere leges, jacere morem majorum, ſenatum nihil niſi vanum nomen in rep. eſſe. Hinc illæ lacrymæ: hæc urebant pectus male ſibi con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ſcium. Sicut enim qui occulta putredine aut cancro vitiatos habent artus, medicos ut carnifices exhorreſcere ſolent, purgationes vulnerum non ſecus ac quæſtiones & graviſſima equulei tormenta refugiunt, ita Cæſaris ſuppuratus atque peſtilenti vitiorum ſidere afflatus animus manum medentium ferre non poterat, & ad tactum ulcerum ſuorum ingemiſcebat. Sed hæc quidem omnia ita clam & diſſimulanter ab illo acta videntur; ut quamvis paulo prudentioribus non lateret quorſum tenderent, imperitam tamen multitudinem fallere poſſent: tanquam potentiæ paucorum deſtruendæ, plebiſque à nobilitate proculcatæ atque obtritæ erigendæ gratia illa faceret atque patraret. Sed ſicuti nullum ſimulatum diuturnum eſſe ſolet, ita Cæſar in tantum ſibi temperare non potuit, quin ſæpius, ut flamma cineribus obruta erumpere ſolet, ex improbo animo ſceleſta conſilia emergerent. Niſi forte ullus hominum dubitare potuit, quid Cæſar meditaretur, quum in prima juventutis face colonias Latinas contra rem Rom. concitaret; quum ſtatim poſt & cum Craſſo & cum Piſone nefarias ſocietates in pernitiem reip. coiret; quum Catilinæ conatibus non modo faveret, verum etiam inter populares numeraretur; quum denique cum eodem Craſſo & Pompeio conjuratio-

nem ſummæ potentiæ iniret, & triumviratum illum in legum & libertatis oppreſſionem conflaret. O Catonem tum temporis verum ſed vanum vatem; quum fruſtra moneret, iſta coitione viam ad tyrannidem muniri, nec tanto exitio diſſidium illorum, quam hoc ſceleratum fœdus reip. fore. Immo certe nulla unquam capitalior peſtis, nullum præſentius malum civitati accidere poteſt paucorum potentium conſpiratione. Dum enim illi nihil niſi ſuo arbitrio agi patiuntur, dum ab adminiſtratione alios optimos cives excludunt, dum ſuæ modo potentiæ fundandæ atque ſtabiliendæ favent, quæ quæſo perverſa conſilia non capi neceſſe eſt; quæ optime conſulta, vel quia ab aliis prolata ſunt, per invidiam, ne hi aliquam inde laudem referant, vel quia machinationibus ſuis obviam eunt, non enervari atque deſtrui, ac ſic ruina reip. magno gradu accelerari? Sed ſicuti his conatibus proluſit peſſimo facinori, ita ne verbis quidem, ut lingua animi index vel inviti ſæpe eſſe ſolet, ambitione & inſolentia plenis abſtinere potuit. Nec modo tum cum ſummam rei teneret, voces impotentiæ plenas jactavit; ut, remp. nomen eſſe ſine corpore, dicta ſua legum inſtar obſervanda eſſe; Syllam neſciſſe literas, qui dictaturam depoſuiſſet: quaſi ipſe nunquam hoc magiſte-

rium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

rium, quod ſemel invaſerat, dimittere in animo haberet. ſed & ante dominationem pernitioſa conſilia impiis ſermonibus detexit; præcipue quum ſemper in ore veluti gratiſſimam cantilenam haberet ac identidem repeteret verſum illum Etheoclis apud Euripidem:

Si violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Quo quid capitalius dici poſſit, non video. Excipiebat id unum, inquit M. Tullius, quod omnium ſceleratiſſimum erat, innuebatque ſe ad regnum parandum omnes honeſtatis limites tranſilire in animum induxiſſe, nihilque penſi habere per fas an nefas illud aſſequeretur. Principatus enim nomen adeo animo ejus arridebat, ut aliquando ad amicos viliſſimum in Alpibus oppidulum tranſiens dixerit, ſe malle ibi principem eſſe, quam Romæ à principe ſecundum. Quis ex his omnibus, niſi plane oculis captus perſpicere non potuit, quæ Cæſar in animo ſuo volveret? O cæcas igitur Rom. mentes! qui non prævidiſtis ſolummodo & evitaſtis exorientem atque imminentem tempeſtatem, verum etiam omni ope excitaſtis & in capita veſtra attraxiſtis. O ſtolidum Pompeium! qui cervici tuæ impoſuiſti ultro, quem nunquam poſtea excutere potuiſti. O felicem demum remp! ſi hoſtibus poſtea victimæ inſtar piacularis, ex ſententia

Cato-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Catonis, deditus fuiſſet. Sed ita ſe res habet, ut inquit ille, ineluctabilis fatorum vis cujuscunque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpere ſolet, efficereque quod miſerrimum eſt, ut id quod accidit, etiam jure merito accidiſſe videatur. Galliarum igitur tam ſenatus quam populi beneficio & ſuffragante in primis ipſo Pompeio, potitus, nihil aliud cogitavit quam apertum bellum patriæ inferre: ut quod diverſis artibus profligaverat, vi atque armis exequeretur. Magnum igitur, ſimul in provinciam venit, & validum exercitum confecit; legiones privato ſumptu atque è barbaris gentibus, quo ſibi fideliores & ad omne facinus paratiores haberet, conſcripſit: milites quotidianis bellis exercuit atque induravit; bellorumque propterea occaſiones non modo oblatas avide arripuit, verum & novas & impias undique conquiſivit; nulloque diſcrimine amicos, hoſtes; ſocios, barbaros; notos, ignotos aggreſſus eſt. Quanto tibi ſanguine, Gallia, quanto, Germania & Britannia, unius hominis ambitio ſtetit! Tum Cæſar gladium ſuum tot innocentium populorum cæde imbuit, quem poſt cruentum in patriæ ſuæ viſcera adegit. Sed quoniam res ejus familiaris continuis illis & infinitis largitionibus adeo attrita erat, ut æs alienum quod conflaverat diſſolvere non

poſſet,

poſſet, & niſi divitiæ Craſſi interceſſiſſent, jamdudum creditoribus ſuis addictus fuiſſet; multo autem minus tanti belli impenſas ſuſtinere valeret, non pauciores aut minus nefarias rapinas in eadem provincia exercuit, quam cædes perpetraret: ut plane incertum eſſet ſanguine an præda magis gauderet, vel minus ſatiaretur. Non enim ſacris, non profanis pepercit. ſocias & amicas civitates, ac portas ſibi ultro aperientes hoſtiliter diripuit: templa & delubra Deorum ſacroſancta, quibus & barbari abſtinent, expilavit: ſocietates denique Rom. (quæ non niſi optime de rep. meritis ſingulari ſenatus beneficio tribui ſolebant) & regna totasque provincias pretio impudentiſſime vendidit. Immania profecto flagitia & ſcelera, niſi majus eſſet propter quæ illa omnia patrarentur. Per latrocinia enim iſta & ſacrilegia ad parricidale bellum progreſſus eſt. Quas autem cauſas tanto furori prætendit? Provinciæ ſuæ prorogationem, utque abſentis ratio in comitiis haberetur, vel ſi illa non obtineret, ut Pompeius etiam provinciis ſuis exueretur, à ſenatu impetrare non potuit. O egregium prætextum,! ô pulchram ſpeciem legitimi in patriam belli! tanquam ipſius eſſet conditiones pacis ſenatui ac reip. præſcribere & parendi leges dicere. Verum ſomnia illa & inanes imagines bello confecto

facile

facile evanuerunt. Pompeianis enim ac adverſariis ad unum omnibus ſubactis atque triumphatis, ad ſummam votorum perveniſſe videri poſſet, ni majora ambitioſum pectus agitaſſet. Tunc oportuiſſet illum, ſi bonus civis quam regni prædo videri maluiſſet, dictaturam & imperium depoſuiſſe, ſenatui populoque remp. liberam reddidiſſe, ac reſtituiſſe ſuum civibus jus, quod ipſe hactenus contra jus uſurpaverat. Sed longe alia Cæſari mens fuit: victores enim ſimul & victos uno imperio preſſit; omnia in rep. pro lubitu ſuo egit ac tulit: ſolis temulentis ſuis & avaris ſatellitibus, Antonio, Dolabellæ, Lepido & ſimilibus cuncta indulſit, ut ab ipſis viciſſim immodicis & divinis honoribus afficeretur, ut regem ſalutarent & diadema capiti imponerent. illuſtriſſimos vero & optimos cives alios poſt victoriam occidit, aliis poſt multas lacrymas & deprecationes amicorum veniam dedit, cum nihil venia dignum perpetraſſent; alios in urbem recepit, alios æterno exſilio damnavit. ſenatum ut minorem deſpexit, ac univerſo cum honorificentiſſimis in ipſum decretis aliquando ad ſe venienti ne aſſurgere quidem dignatus eſt. quos & quot vellet magiſtratus creavit; quos vellet dignitate privavit: regium denique nomen, cujus vim ſed aliis titulis exercebat, palam affectavit, & niſi fatalis hora

præci-

præcipitaſſet, abſque dubio invaſiſſet. Et adhuc aliquis Cæſarem tyrannum fuiſſe neget, qui obtritis legibus, everſo more majorum, vilipenſo ſenatu illius & pop. poteſtatem in ſe tranſtulit, atque ita regnum pleniſſime occupavit? Ne quis mihi hic clementiam & moderationem, quam poſtea oſtentavit, objiciat. Clemens fuit in victos. Quid tum? ita conducere rebus ſuis putavit. Credebat cædibus & ſuppliciis nihil præter metum civibus incuti, illum autem malum diuturnitatis cuſtodem eſſe, & vere ab Ennio dictum:

Quem metuunt oderunt,
Quem quisque odit periſſe expetit.

Audierat Dionyſium, Phalaridem aliosque tyrannos ob ſævitiam vel imperio pulſos, vel à parentibus occiſos eſſe. Famam igitur clementiæ quæſivit, quam etiam crudelitatis expetiiſſet, ſi id ſibi utilius fuiſſe judicaſſet. Non etenim vera hæc in ipſo virtus, ne decipiamini, auditores, ſed tantum virtutis ſimulatio & umbra fuit, ſub qua tyrannicum ingenium occultare atque abſcondere ſtuduit. Si hæc imperatoria virtus, quæ ſola nos ſuperis æquat, penitus animo ejus infixa ſedebat, ubi tum Cæſaris clementia fuit, cum tot millia innoxiorum hominum in externis, tot civium in domeſticis bellis interfici juſſit? cum non modo Galliam & Germaniam infinitorum

popu-

populorum ſtrage vaſtavit, ſed Hiſpaniam, Theſſaliam, Africam, ipſamque Italiam civili ſanguine replevit? cum tot ſenatores & equites Rom. poſt pugnam Pharſalicam cædi imperavit? cum clariſſimos viros Afranium conſularem, & Fauſtum Syllam dictatoris filium indicta cauſa interfecit? cum L. Cæſarem ſanguine ſibi junctum ultroque ſupplicem factum occulte, quum palam non auderet, per inſidias oppreſſit? cum tot homines ſuarum partium ſibi ſuſpectos vel inviſos aut per commilitones aut per hoſtes interemit? O virum dignum cujus clementiæ templum conſecretur! Conſiderate quæſo mecum, auditores, quam facile hanc ejus ſuperficiariam virtutem innata & ſolidiora vitia expugnaverint. Mundum ſanguine manare voluit, ut ipſe univerſo imperaret: Afranium & multos alios illuſtres viros occidit, quia bis ignoſcere nolebat; Syllam obtruncavit, quia didicerat generos timere; L. Cæſarem, quod patriæ cognationem poſtponens à diverſis partibus ſtetiſſet, atque illas enixe juviſſet. Judicate nunc an hæc in ipſius pectore virtus firmam ſedem habuerit, an externa potius ſpecies & nudum ſimulachrum, virtutisque, ut ita loquar calumnia fuerit; quæ nullo negotio ab adverſariis affectibus ejecta ſæpe atque exterminata eſt. Quando autem poſt triumphatam patriam

cives-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

civesque illius arma ſecutos, his non modo indulgenter habitis, verum etiam ad ſummos honores productis, ſe tanquam re bene geſta ſecure ætatem agere, & tyrannide ſua placide ac tranquille frui poſſe opinatus eſt; in eo ſane graviter erravit, & in hoc uno artes ſuæ artificem fefellerunt. Annon didiceras, ô Cai Cæſar, unumquodque eo modo conſervandum eſſe quo partum eſt, armisque principatum quæſitum, ut recte te monuerunt Panſa & Hirtius, armis tenendum eſſe? Tam infirmam putaſti libertatem Romanam, tot ſæculis & annorum ſpatiis coalitam ac altiſſimis radicibus hærentem, ut ad primum ictum concideret? adeo ignavos Rom. animos, ut non recordarentur boni modo amiſſi & dominationem aliquando detrectarent? An ignorabas acriores eſſe morſus intermiſſæ libertatis quam retentæ? An vero credebas Brutum & Caſſium ac paria illis generoſa pectora ad prodendam remp. vanis honorum tuorum titulis & illecebris permoveri poſſe? Nonne providebas, hos, ſimul ac occaſio ferret, vocaturos ad pileum Quirites, qui aſſertores quotidie flagitabant? Callidior certe in illo te fuit noſtri ævi unicus Britanniæ tyrannus, qui gladium illum, quo principis & domini ſui caput detruncaverat, nunquam in vaginam recondidit, nunquam ſanguine ſiccum reliquit, ut, quod amo-

re

re popularium non poterat, metu & terrore imperium contineret. Ille igitur poſt dominationem aliquot annis poſſeſſam ſua morte defunctus eſt, cum per innumeros cruciatus ac tormenta ſceleſtam animam evomere debuiſſet: tu conſpiratione nobiliſſimorum ac optimorum civium initio regni tui, in ipſo ſenatu viginti tribus vulneribus confoſſus curiam ſanguine tuo commaculaſti, qui terrarum orbem humano ſanguine inquinaveras. Quibus autem vos laudibus efferam, illuſtres animæ, qui libertatem patriæ capitis & fortunarum periculo quaſi poſtliminio reddere tentaſtis? Sique Harmodio & Ariſtogitoni, qui à Piſiſtratidis urbem liberaverant, Athenienſes jure merito ſtatuas erexerunt; quæ ſtatua tibi M. Brute, quod ſimulachrum ſatis magnificum Caſſio ſtatui debuit, qui non urbem ſed orbem terrarum, cujus illa princeps erat, tyrannide exuiſtis? O meliores ſucceſſus egregiis auſis meritos, non morte aut exſilio, ſed victoriis & triumphis digniſſimos heroas! Sed obſtitit nobili veſtro conatui fatum urbis ſerviturae. Decreverat enim Deus opt.max.illi, cui ſatis longa & matura imperia contigerant, quæ in tantam magnitudinem & molem excreverat, ut ſe ſuſtinere amplius non poſſet, & jam jam in ſe ruitura eſſet, quæ denique vitiis ſuis in præceps ibat & in exitium ipſa ſuum totis viribus in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

incumbebat, dominos ac rectores dare, qui corruptos mores caſtigarent, procacem laſciviam & indomitam licentiam refrænarent, ac urendo & ſecando, quoniam mitiora remedia contempſerat, fœda ac peſtifera illius vulnera curarent. Quamvis autem huic non inutile fuerit poteſtatem ad unum conferri, qui diſcordem & luxuriantem populum in ordinem redigeret, nullo tamen propterea modo Cæſar excuſari poteſt, utpote qui non bono publico ſed improba dominandi cupiditate impulſus exercitu pop. Rom. (ut utar verbis oratorum principis) populum ipſum Rom. oppreſſit, civitatemque non modo liberam ſed etiam gentibus imperantem ſibi ſervire coëgit.

Deo opt. max. gratias ago, nobiliſſimi auditores, quod mihi libero ad vos liberos hæc verba facere liceat, qui inæſtimabilem libertatem majorum virtute partam poſſidemus, atque eadem in ſumma pacis & otii tranquillitate fruimur. Opto autem ac voveo, ut hæc nobis pax & publica libertas ſtabilis ac perpetua ſiet. Sed agnoſcamus quæſo hoc divinum munus, neque illud vilipendamus. In primis curemus, ne iiſdem vitiis quæ Romanam libertatem peſſundederunt obnoxii, eandem nobis peſtem attrahamus. Quænam autem erat reip. forma quum illam Cæſar oppreſſit?

Am-

Ambitio & avaritia in illa dominabantur; ac de pecunia & imperio mirum in modum certabatur. Hinc empti Quirites ad prædam ſtrepitumque lucri ſuffragia vertebant: illinc magiſtratuum candidati non virtute aut claris factis ſe civibus commendabant, ſed epulis & largitionibus, ipſo favoris ſui ſectore populo, honores emebant; aut adunata factioſorum manu ferro & cædibus graſſabantur: ita ut ſæpe cruore forum manaret, ſæpe cadaveribus civium campus cumularetur. Nuſquam tuta fides, nulla probitas, nulla ſanctitas aut legum reverentia erat. Omnia enim nummorum & honorum aviditas corruperat. Sibi quisque conſulebat, remp. omnes rapiebant atque dilacerabant; ac miſera Roma

Ipſa ſui merces erat & ſine vindice præda.

Non quidem ad tantam inſaniam ſingulari Dei beneficio hactenus devenimus, auditores; ſed vitiorum illorum contagio peſtilentiæ inſtar ſerpere incipit & antiquos mores inficere. Necdum ad vim & arma deſcendimus: ſed an eo minus omnia virtutis præmia ambitio poſſidet? nonne faſces pretio emuntur? venalis populus, venales patres ſuffragia ſua exponunt & addicunt plurimum licitantibus? Nonne videmus eundem reip. letalem ambitum multos ſubigere falſos fieri; aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum

habere; jurisjurandi religionem in ludibrium vertere; amicitias non honeſtate ſed ſuis commodis metiri? Quis eſt qui reip. curam gerat? quis non bonum publicum ex privata utilitate æſtimat, ad hanc unice attendit; divina atque humana miſcet, quo vel ſibi vel liberis ſuis aut ſanguine junctis aliquod munus vel beneficium conſequatur: ut illius dignitate honorati ante ora civium magnifice incedere, & fructibus ejusdem ſe alere ac tueri poſſint? An vero ignorant illi, magiſtratus & honores, ut egregie Romanæ princeps hiſtoriæ dixit, non per ſeipſos claros & magnificos eſſe; ſed perinde haberi, ut eorum qui ea ſuſtinent virtus eſt? Nonne illos pudet, hæc tanto ambitu petere, inde lucrum aucupari, quæ majores noſtri, diligentes quidem & attenti patresfamilias, ſed adverſus divitias de publico rapiendas invictos animos gerentes; ideoque nullo aut certe exiguo pretio functiones illorum præſtantes, inter civium onera numerabant, & cervicibus ultro impoſita detrectabant; aut ſi hæc patriæ quaſi debita non perſolvere ingrati eſſe civis arbitrarentur, ſuſcipiebant, ſed ita ut appareret in alium collata maluiſſe. Neque ſane erat cur iſta concupiſcerent viri ſancti & conſcia recti mente gaudentes. Perſpiciebant enim quam operoſum eſſet tribunal & ærarium innocenter &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

integre curare; quam lubrica & fallaci via inſiſteretur; quam difficile eſſet non factione aut ſtudio ſuorum, non privatarum rerum reſpectu, aut nitore argenti, ac tot aliis vitiorum irritamentis in diverſa rapi. Reputabant cum animo ſuo, quam ardua res eſſet, lites ac controverſias de capite & fortunis civium decidere: quæ juris civilis cognitio, quæ judicii conſtantia & rerum peritia requireretur, ne nocentes abſolvantur & ad ſupplicia rapiantur immerentes; ne hic inique cenſu & patrimonio ſuo ſpolietur, ille bona alterius veluti prædam invadat. non ſufficere communem ſenſum, non levem jurisprudentiæ guſtum, ad effugiendos verſutorum pragmaticorum laqueos, & ſpecioſas improborum rabularum calumnias indagandas atque detegendas: ſed interiorem & multis forenſibus negotiis exercitam prudentiam vix tanti ponderis rei curandæ, ac tot intricatis juris nodis ſolvendis parem eſſe. per prunas autem & ſuppoſitos doloſo cineri ignes incedere, qui pecuniam publicam tractarent: multosque mortales adverſus reliqua vitia ſatis munitos huic uni habendi ſtudio ſuccubuiſſe. Hiſce priſcæ ſanctitatis placitis ac ſcitis ſi noſtrorum hominum conſilia componere libeat, luculentiſſime apparebit, immenſum quantum nos à paren-

tum virtute degeneraviſſe, atque omnia quotidie

In pejus ruere ac retro ſublapſa referri.

Ut autem Romæ omnia venalia erant, ita eadem cives habuit ſervitio paratos. Multi ibi reperiebantur adulatores potentum, qui libertatem ſuam & patriæ illorum favori donabant, ut ab iisdem opibus & honoribus augerentur, ut eorum potentia fruerentur & remp. ſecum in ſervitutem abſtractam impune raperent atque vexarent: multi, qui nepotinis ſumptibus ad incitas redacti illam pretio, quod indigniſſimum eſt, venderent, atque ita patriæ ruina inopiam ſuam & bonorum diſſipationem repararent. Utinam tale hominum genus ſæculo noſtro ignotum eſſet, qui principibus velificandi ſtudio remp. & libertatem produnt. Utinam non invenirentur Curiones venalibus linguis & animis præditi, qui muneribus vel promiſſis patriam vendere dominoſque potentes imponere ſtudent. O degeneres animæ! qui gratiam magnatum pulchræ libertati præfertis, qui ob exiguum lucrum remp. veſtram in profundiſſimum miſeriarum barathrum conjicitis. An obliti eſtis ævi prioris à tyrannide adhuc recentes? non parentes veſtri, non annales illorum temporum vobis prodiderunt, quid eſſet ſub domino vivere? Sed, inquiunt, immanis ille fuerat & ſævus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ſævus tyrannus. tanquam non omnes domini, qualescunque etiam ſint, libertatem optimum mortalibus bonum à Deo datum nobis eripiant; in ſervitutem contra, quæ una omnia mala omnesque calamitates facile ſuperat, adducant atque detrudant. Sed concedamus imperium unius juſti & ſapientis principis incerto ſenatus populique regimini præponendum eſſe: quis quæſo talem nobis polliceri audeat? quis præſtare poſſit? Hoc enim tempore, quo corrumpere & corrumpi ſæculum vocatur, ſi non in matris utero concipiunt, ab ipſis certe cunis inextricabilibus vitiis implicantur regum & principum liberi: dum non modo molliter & delicate per omnem licentiam & laſciviam educantur; verum etiam circumſtant flagitiorum, quibus aulæ ſcatent, magiſtri: qui blandimentis ac omnibus adulationum illecebris illorum gratiam captant; qui nihil turpe dictu, nihil infame factu ducunt modo infanti domino arrideat. Atque ita teneri & rudes animi non modo nulla virtute (neque enim per ſomnium quidem illius unquam admonentur) verum omni verborum turpitudine & rerum obſcœnitate miſerrime imbuuntur. Ad adoleſcentiam vero iidem ſi pervenerint, nonne deſidia, luxus, convivia, ſtupra, adulteria, quæ in aulis regnant, corrumpunt & enervant nobilem indolem? Nonne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ne aulicorum greges ventri & turpiſſimæ corporis parti plerumque addicti, ſuis nequitiis & ſceleribus juvenes principes, quorum mollis & cerea ætas in vitia facillime flectitur, ſtatim involvunt atque cooperiunt? Niſi forte hiſtrionum & equorum ſtudiis occupatus & obſeſſus animus loci quicquam bonis artibus relinquit. Quod ſi tamen ex illis juventutis laqueis mira naturæ bonitate evaſerint, & virile robur ſalvi & à vitiis intacti conſecuti fuerint; quod ſi maxima de ſe promittentes ſummæ reip. præfecti fuerint, an propterea metus exemptus ne ſuperbe & impotenter regnum exerceant? Minime vero. Corrumpit mores imperium: & illi qui rerum potiuntur, ut inquit Græcus orator, inſoleſcere ſolent. Cujus non animus luxuriat rebus ſecundis? quis illas æquo animo tulit? Quanto autem minus ſibi imperabit, qui ſe legibus non teneri putat, & cui ſatellites quotidie inſuſurrant; quicquid libuerit licere. Solus Veſpaſianus, inquit Tacitus, omnium ante ſe principum in melius mutatus eſt; reliquos innuens vi dominationis, ut idem de Tiberio loquitur, convulſos & in pejus mutatos eſſe. Sed ſit clemens, ſit juſtus, ſit pius. quando potentiam ſuam, quod plerumque contingit & niſi mirabiliter evitari non poteſt, liberis vel hæredibus relinquit, an virtutes

tutes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

tutes ſuas in eosdem transfundere poteſt? Iſtæ, ut recte Salluſtius, neque dantur dono neque accipiuntur. Fuerit clemens Cæſar, fuerit juſtus & moderatus Auguſtus: nonne qui hos exceperunt tam ex eadem Julia gente, quam reliqui ferme imperatores omnes fœdiſſima atque crudeliſſima monſtra & prodigia fuerunt? ut ille non abſurde dixerit, omnes bonos Rom. principes in uno annulo perſcribi poſſe. Quæ cum ita ſint, auditores, libertatem noſtram maximum cœli beneficium avidis ulnis complectamur, Deoque æternas gratias exſultantes dicamus, quod nos præ reliquis mortalibus tanto honore mactaverit. Sed dignitatem ejus & pretium recte æſtimemus, juſtaque libra pendamus; & è regione tanquam in alteram lancem præcedentis ſæculi miſerias ac calamitates imponamus, diſcamusque quantis ærumnis extracti, & quanta contra felicitate cumulati ſimus. O nos ſi bona noſtra novimus omnium quos terra alit hominum fortunatiſſimos! quos nemo, præter fas & jura, conſtringit; quibus non tyrannorum voluntas aut libido, ſed ſolæ leges imperant. ubi non auditur graviſſima & iniquiſſima regnantium vox; ſic volo, ſic jubeo: ſed ubi ſanctæ & juſtæ leges ſummam obtinent auctoritatem, quibus nemo exceptus aut ſolutus eſt, quæ rectores tenent vel ampliſſimos. Si-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

cut autem re ipſa ita & ſermone libertatem uſurpamus: neque animi noſtri ſenſa occultare aut dolorem cor ambedentem premere cogimur. verum libere effamur etiam illa quæ ad ſummam remp. pertinent, nemini præter Deum in verba jurati, nullius domini offenſas pertimeſcentes, qui dicta noſtra in læſæ majeſtatis crimen trahat, qui collocet à tergo carnificem, virgas & ſecures identidem intentantem; in ſinu & viſceribus canem ac emiſſarium, qui excutiat mentem ac cogitationes noſtras, qui prodat etiam cubilium ſecreta: ubi religio non opinione aut errore dominantium fluctuat, ſed è vivis ac perennibus myſteriorum fontibus hauritur: ubi ingenuæ artes ac ſtudia ſuum habent quaſi aſylum atque templum; induſtria & inſignis probitas non invidiæ & exitio, ſed laudi & decori ſunt; mercatura ac opificia ſupra vota vigent ac florent; opes atque divitiæ affluunt; omnia denique bona cœleſtia & terreſtria velut è refertiſſimo copiæ cornu in ſinum noſtrum plena manu effunduntur. Huic quæſo noſtro vere aureo ſæculo ferrea parentum ſub jugo Auſtriaco gementium tempora opponamus. illos ſanguine & ſudore manantes ante oculos collocemus; revocemus in memoriam vincula, equuleos, rogos; tam animarum quam corporum tormenta; matronarum miſerantium

parvos

parvos liberos, liberorum reſpicientium inane matrum auxilium, & ſinus illarum, inſtante atque abſtrahente barbaro milite, anxie retinentium planctus ac ejulatus; nobilium & ingenuarum virginum ſtupra; illuſtrium familiarum extirpationes, direptiones urbium, vaſtationes agrorum, & quæ ne crudeliſſimus quidem hoſtis perpetraſſet. His adjungamus imminutionem aut potius abolitionem legum & immunitatum, religionis propter inſcitiam aut impietatem principis ærumnoſum ſtatum, & acerbiſſimam conditionem idem illi de divinis ſentiendi; aulam repletam improbis & maleferiatis hominibus; optimorum ac promptiſſimorum civium oppreſſionem, peſſimorum ſycophantarum & gnathonum ad ſummas opes & dignitates provectionem; in ſumma totius reip. everſionem atque ruinam. Si igitur publica ſalus nobis cordi eſt, ſi vel gutta generoſi ſanguinis in venis noſtris hæret, ſi ullam poſteritatis & liberorum (quos in ſimiles aut forte majores calamitates ignavia noſtra præcipitabit) curam gerimus, aulicorum iſtorum & ad ſervitutem natorum hominum ſermonibus aures obturemus, nulla gratia potentum, nullis opum aut honorum delinimentis ab amore publicæ libertatis tanto pretio à majoribus comparatæ nos abſtrahi patiamur, illam præſentem in oculis geramus,

ramus, ne poſt ex oculis ſublatam fruſtra deſideremus. Vitiis ante omnia illis quæ interitus rerumpubl. cauſæ exiſtere ſolent pro ſe quiſque reſiſtamus; ambitionem & malas artes ad regum & principum palatia relegemus: innocuam contra majorum viam, ſcelerum puram, honorum & divitiarum victricem, qua ad ſummos honores & divitias pervenerunt, firmo pede inſiſtamus: & ſicuti opibus ac imperiis illorum induſtria quæſitis avide fruimur, ita eorundem virtutes, pietatem & conſtantiam, temperantiam & modeſtiam, concordiam & reip. amorem; in primis tyrannidis odium ac libertatis ſtudium, per quæ illa omnia adepti ſunt, imitari ſtudeamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

THEOPHILI HOGERSII

BINÆ

ORATIONES

Habitæ

Bello Anglico ſecundo.

PRIMA

DE PATRIA FORTITER DEFENDENDA

Poſt acceptam cladem anno cIↄ Iↄc LXV.

ALTERA

DE PACE BATAVORUM ET BRITANNORUM

Illorum virtute confecta anno cIↄ Iↄc LXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

THEOPHILI HOGERSII
ORATIO
DE
PATRIA
FORTITER DEFENDENDA.

QUum nuper ex hoc loco cum vobis agerem, Auditores, Deo opt. max. gratias agebam, quod reſpublica noſtra præ aliis regnis & civitatibus in maximo otio & tranquillitate incredibile quantum vigeret atque floreret. Nunc eadem (proh dolor) ſæviſſimo calamitoſiſſimoque cum finitimis, divinoque ante & humano fœdere conſociatis bello involuta, cum multis ærumnis & adverſantis fortunæ injuriis conflictatur. quique tum maris imperium non, ut alii, verborum jactatione, ſed multitudine navium & claſſium magnitudine revera tenebamus, & maritimis quidem bellis invicti habebamur, nunc navali prælio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

prælio victi, fugati & Oceano turpiſſime exturbati ſumus: qui tum mercaturam & quæſtuoſiſſimas negotiationes per univerſum orbem latius, quam ulli unquam mortales, exercebamus, nunc marium uſu penitus privati, & in portubus noſtris, ut imbellia animantia in ſuis latibulis, incluſi, vix caput exſerere, aut navem proximo littori petendo deducere audemus: qui tum circumfluentes omnibus copiis, & divitiis utriuſque orbis cumulati in ſumma rerum abundantia vivebamus; nunc foris piratica, rapinis & populationibus, domi tributis & ſtipendiis intolerabilibus exhauſti in maxima inopia & omnium rerum penuria vitam agimus. qui denique potentiſſimo olim Hiſpaniarum regi & cum Occidente trahenti pene Orientem & Septentrionem totum ferme ſeculum victricibus armis reſtitimus, nunc infirmi Epiſcopi raptibus & latrociniis inulti patemus. Scilicet nihil perenne aut conſtans in rerum natura eſt, fuit, erit. nec ulla unquam natio, nulla civitas ab orbe condito extitit, quæ non innumeris mutationibus & rerum ſurſum deorſum euntium viciſſitudinibus obnoxia fuerit. Percurrite omnes gentes omneſque populos, conſulite annales omnium temporum; cuncta converſionum plena, pacis in bella, bellorum in pacem, tranquillitatis in tumul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

tumultus, tumultuum & ſeditionum in tranquillum ſtatum reperietis. Quid mirum igitur, ſi patria noſtra (his naturæ & fati legibus haud magis aliis populis ſoluta) quum nuper placidiſſima pace frueretur, nunc turbat & horribili tumultu tremit? Sed ut illo tempore gratiſſimi illius otii diuturnitatem ſupplicibus votis expoſcebam, ita nunc, quoniam Deo aliter viſum, vos ad rem pro ſalute & dignitate patriæ ſtrenue gerendam adhortari conſtitui. Sicut enim fortunatis exoptanda pax, quæ in ſuo ſtatu illorum fortunam conſervat; ita bello afflictis & ærumnoſis addendus animus eſt, ut res inclinatas erigant & gloriam patriæ collapſam reſtituant. Quo autem promptius & majori ſtudio ad patriam hanc conſilio & armis tegendam pergatis, ſubſiſtite parumper, & quænam illa ſit quam defenſum itis, mecum conſiderate. Non enim ignobilem aut barbaram tellurem, non civitatem ſub aliena dominatione gementem veſtræ tutelæ commendamus; ſed rempublicam liberam, ſed rempublicam quæ aliis liberis civitatibus tantum antiſtat, quantum hæ regnis & populis gravi tyrannide preſſis. nec facile ullam gentem aut nationem invenietis, in quam tot tantaque bona collata ſint, & res tot miræ coierint. Sive jam illa intueri libeat, quæ ſola Chriſtianos

inſpicere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

inſpicere & æſtimare fas eſt (quippe quia ab his ſolis æterna ſalus pendet, reliqua omnia fluxa ſunt & caduca) religionem puto & divinas cæremonias: quibus quæſo in terris illa ſanctior colitur, Deo gratior & dignior docetur, clarior & purior explicatur? Virgo hæc nullo humano cultu aut meretricio fuco violata, nullis calamiſtris inuſta, in nativa ſe ſua pulchritudine nobis oſtendit, totamque quanta & qualis eſt videndam præbet. Hæc omnes homines ad ſacra ſua admittit, nullos arcet aut profanos clamat, niſi qui flagitiis & vitæ perdita ratione ſe ipſi indignos effecerunt. Hæc rectam nobis ſemitam & compendium ad cœlorum penetralia veluti digito commonſtrat. non anilibus nos fabulis ludit, non Panico terrore mentes percellit, non ſuperba & ſtolida virtutum ſuarum opinione animos inflat: ſed circumciſis quæ vel inutilia, vel impedimento damnoque ſunt, ſola tradit & vera ſalutis noſtræ myſteria; exploſiſque vanis terriculamentis, cœlum recte initiatis, Tartarum & æternas pœnas impiis deſtinat: myſtas autem ſuos & epoptas, nihil Deo imputare; ſeipſos omneſque ſuas virtutes ex vero, id eſt nihili æſtimare, unicoque numini quæcunque in ſe bona habeant adſcribere jubet. Non hæc animos hominum impio & indigno jugo ſubdere

conatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

conatur, quique non per omnia ſecum ſentiunt ut improbos & divinæ majeſtatis reos ferro & igni perſequendos cenſet: ſed unicuique mentis ſuæ (quæ ut cœleſtis originis & divinæ particula auræ, ita nullis tormentis & ſuppliciis terrenis ſubigi poteſt) quam eripere nequit permittit libertatem. Laudat & æſtimat recte ſentientes; cæteros tolerat & patitur. Crux, carcer, eculeus & atrocia pœnarum ingenia procul hinc. Sola lenitate & manſuetudine (quæ propriæ Chriſtianorum tantopere totieſque ab ipſo Chriſto commendatæ virtutes, unica adverſus impios & hæreticos arma) illos mollitos ſibi ſubjicere, & qua ſola fas eſt violentia, monendo & ſuadendo ad ſanam mentem convertere ſtudet. Hanc cœleſtem virginem altera dignitate quidem minor, ſed tamen proxima complectitur, vera & juſta Libertas: quæ non, ut alibi, nudum nomen tyrannidi prætendit, aut in vaga quadam imperitæ multitudinis licentia, quæ in petulantiam & audaciam erumpere ſolet, conſiſtit. ubi nemo quidem honoris atrio prohibetur, omnibuſque civibus ad dignitates & imperia aditus patet; non tamen illorum effrenato & præcipiti impetu potius quam conſilio reſpublica promiſcue regitur; ſed ſenatus & magiſtratuum auctoritate adminiſtratur: ita temperata, ut cum uni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

unicuique civi ſua libertas conſtet, ſoli tamen illi, qui ex his digni exiſtimati & legitimo majorum more lecti ſint, populi majeſtatem præferant atque tueantur. Qua ordinatione & temperamento quid juſtius, utilius, pulchrius excogitari poteſt? ut aut cæcos eſſe aut obliquis oculis bona noſtra intueri neceſſe ſit, qui hanc civitatis formam aliis omnibus non longe anteponant: illos autem cives qui iſtam immutatam velint, non legitimos ejus liberos, ſed nothos atque ſpurios credam, inſtarque monſtroſorum partuum in Læſtrigonum aut Phalaridis regna deportandos cenſeam. Quid loquar alias ejus commoditates & quaſi prærogativas? fœcunditatem ſoli, lac & mel manantis? hoſpitalitatem maris? portuum numerum & præſtantiam? è quibus in omnes orbis plagas vela dimittit, merceſque undique convectas ac apportatas cunctis iterum terris diſtribuit & impertitur, atque ita infinitas opes

——Partaſque per omnes

Divitias populos magnique impendia mundi in ſuum gremium congerit, orbis terrarum horreum ſimul & ærarium. quid pietatem, candorem, comitatem, manſuetudinem, clementiam, gratitudinem, benevolentiam, fidelitatem aliaſque proprias nativaſque gentis, omnibuſque ſæculis ap-

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

probatas virtutes? quid ejus res geſtas à primis Romanorum Cæſarum temporibus, hoc eſt à prima ejus memoria, uſque in præſens ævum nobiliſſimis ſcriptorum etiam hoſtilium monumentis prædicatas & decantatas? quid ingenium artium variarum, quo reliquis facile nationibus palmam præripit? Sive enim pacis ſive belli opera ſpectemus: hæc terra fuit parens typographiæ, qua in lucem prodeunte & terras illuminante diſcuſſæ ſunt illæ pluſquam Cimmeriæ literati orbis tenebræ; & ſicut exoriente Sole omnia ſpectra & umbras fugari & ſedibus ſuperis relictis inferas repetere dicunt, ita hac in Batavis emergente & caput ſuum orbi oſtendente, barbaries, quæ tot ſæculis mundo gravis imperitaverat, ſolio ſuo depulſa & in æternum exilium relegata eſt. Hæc tot illuſtres viros, divinarum atque humanarum rerum peritos, omnibus diſciplinis inſtructos; & ut de aliis innumeris taceam, illa duo literarum ſydera Eraſmum & Grotium produxit: hæc navigationi facilitatem, commoditatem, ſecuritatem & utilitatem admirabilem infinitis inventis peperit & conciliavit: hæc varia belli inſtrumenta ante orbi ignota fabricata eſt; bellorum artem & diſciplinam (cujus vix nomen & umbra in terris ſupererat) inſtauravit & propemodum

modum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

modum condidit: totque alias res invenit & quotidie invenit, ut vix in toto orbe quicquam ſubtiliter excogitatum, affabre factum, prudenter & cum fructu adhibitum reperiatur, quod non ſit Batavum. De quibus omnibus ſi pro materia dicere vellem & tempus me & vires deficerent. Cum igitur natura qualiſcunque patriæ, vel ignobiliſſimæ, & cum aſpero aut peſtifero cœlo, ſterili ſolo, importuoſo littore, ſummoque rerum, etiam ad vitam tuendam neceſſariarum, defectu colluctantis amorem barbarorum etiam animis ingeneraverit; illique ſecundum à Deo locum tribuerit, ſolamque pietatem erga maximum mundi creatorem & optimum ac benigniſſimum humani generis tutorem pietati in patriam prætulerit, amorem autem in parentes, qui nos genuerunt & ſuo ſanguine aluerunt, illi poſtpoſuerit: quo nos animo erga noſtram affecti eſſe debemus? quæ, præterquam quod hanc à matre recentes primam attigimus; illius aëra primum hauſimus, & cum hujus temperatione & affectionibus (juxta quas, ut inquit M. Tullius, pueri orientes animantur atque formantur, eorumque ingenia, mores, animus & corpus finguntur) ejus quoque caritatem imbibimus; in illa parentibus, uxoribus, liberis, aliiſque neceſſitudinibus & affinitatibus, quas eadem nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

bis tulit & dedit, devincti ſumus; terræ illius & aquæ muneribus fruimur: præter hæc, inquam, quæ cum aliorum natali ſolo communia habet & vel ſola illius amori conciliando ſufficerent, tot tantiſque beneficiis præ reliquis, qua mundus patet, populis, nos auxit atque cumulavit. Quis illi, à qua tanta bona accepit & quotidie ſumma cum voluptate percipit, omnia ſua (quæ maximam partem ipſi accepta ferre debet) reddere; nec modo opes & patrimonium, ſed quicquid vel animi vel corporis virium in ſe habet, ipſam denique vitam, ſi neceſſe ſit, impendere dubitabit? Sique pro facultatibus noſtris & exigua ſæpe bonorum parte vitæ diſcrimen adire non recuſamus, an pro illa, cujus beneficio non modo divitias, verum etiam religionem, libertatem, dignitatem, & quicquid vitam beatam reddere poteſt, tenemus, ſanguinem effundere non ſuſtinebimus? Præſertim ſi animadvertamus, omnia hæc patriæ ornamenta non tam fortunæ quam virtutis majorum eſſe munera; qui vitæ & fortunarum ſuarum diſpendio illa de manibus validiſſimorum tyrannorum extorſerunt, virtute & induſtria ſua mirum in modum auxerunt, nobiſque optima maxima tradiderunt. An igitur quiſquam noſtrûm tam abjecti animi ſit, ut ſocordia & deſidia

ſua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ſua amittat, quæ illi incredibili fortitudine & diligentia quæſiverunt? An quiſquam tam degener & officii ſui immemor, ut gloriam & infinitas laudes, quas illi ſuo labore & periculo, patriæ pepererunt, ignavis factis contaminet atque extinguat? Si enim ille, qui paternum & avitum patrimonium, diligentia & parcimonia à majoribus acquiſitum, & liberis ſuis debitum, nepotinis ſumptibus abligurit & dilapidat, jure merito ab omnibus culpatur; quam inviſi & deteſtabiles honeſtis civibus eſſe debent ii, qui glorioſæ famæ hæreditatem ab avis & patribus ſanguine & ſudore elaboratam, ſibique ut inæſtimabilem theſaurum relictam turpitudine & inertia ſua diſperdunt ac diſſipant, eaque poſteros, quibus illam novis laudibus ornatam & titulis decoratam reſtituere decebat, indigniſſime fraudant. Majores veſtri ſunt, Auditores nobiliſſimi, quorum ſanguine hæc noſtra reſpublica fundata eſt, quorumque induſtriis & ſtrenuis factis à minimis initiis ad tantam molem excrevit. Hi ſunt, qui invictis animis validiſſimorum hoſtium & cum maxima Europæ parte utramque Indiam in partes trahentium impetum ſeptuaginta per annos ſuſtinuerunt; atque atrociſſimum bellum non modo ultra ſpem gerendi, verum etiam

etiam ultra geſti fidem patraverunt. Horum laudes nulla unquam ætas ſilebit, aut quiſquam pro merito celebrabit. His vos majoribus orti de gloria illorum decedetis, & nobilitate ab illis comparata contenti in ignavia & torpedine conſeneſcetis? Res ſane pulchra eſt, avos proavoſque rebus pro patria geſtis celebres numerare poſſe. Sed an illorum fortitudo ignaviæ noſtræ cauſa erit? illorum laudes noſtram infamiam producent? illorum diligentia, fortitudo, conſtantia erunt fulcimenta vitiorum noſtrorum, iisque nos effæminati incubabimus, non propriis virtutibus ſed nuda majorum fama nos venditantes? Quod ſi Troſſuli hi & mollitie fluentes adoleſcentuli parentibus ſuis aliquando rationem eſſent reddituri actionum ſuarum, & famam ac nobilitatem illorum profanis pedibus conculcaſſe redarguerentur, quo pudore ſuffunderentur miſeri? Illi certe non agnoſcerent & faſtidirent hos degeneres liberos; mallentque orbi ſuum diem obiiſſe, quam reliquiſſe iſta gentis ſuæ dedecora: & omnem ſui memoriam intercidiſſe potius optarent, quam filios ſuos magnis illis nominibus fretos & ſuperbientes nihil iis dignum præſtitiſſe. Quin potius, Auditores, majorum veſtigiis inſiſtentes ab his exemplum capiamus quid nobis factu optimum ſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Hi autem periculo ſuo demonſtraverunt, non inertia aut ignavo otio magnam ſibi & patriæ gloriam mortales conſequi; ſed pro republica vigilando, bene conſulendo, fortiter agendo famam & æternas laudes parari. Hi demonſtraverunt, nihil eſſe quod nos commendet præter pulchritudinem virtutis; non divitias, non nobilitatem, non animi corporiſve dotes, ſi cum ſocordia copulata ſint. Hi demonſtraverunt, nihil virtuti arduum eſſe; maximas hoſtium vires & copias huic uni cedere. Hi denique demonſtraverunt, (quod & in nummos aureos argenteoſque incidi juſſerunt) NEMINEM BONUM NISI CUM ANIMA LIBERTATEM AMITTERE; immo vero dulce & decorum eſſe pro patria occumbere, & brevem incertamque vitam cum æterna & immortali gloria commutare. Hoc igitur agite, Cives, & quoniam per hoſtes pacem vos habere non licet, bellum magnis animis gerite, ut per hoc victoriam & honeſtam pacem conſequamini. Neque enim exiſtimare debetis, vos æquis conditionibus cum hoſte fœdus percuſſuros, niſi armis victores extiteritis. Belli enim fortunæ pacis leges reſpondent. hæc autem juxta Deum in veſtris manibus poſita eſt. Nam ſi ſtrenue rem geratis, illa quæ fortes juvare

ſolet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ſolet, vos nequaquam deſeret. Neque eſt quod vos frangat adverſa in Oceano pugna cladeſque non tam virtute hoſtium quam divinitus nobis immiſſa. Si enim ex infortunato unius belli eventu omnis reipublicæ ſalus pendet, &

——ſemel agmine verſo
Funditus occidimus neque habet fortuna regreſſum,

pacem ſupplices petamus, jugumque victorum pronis humeris accipiamus. Sin autem ſuperſunt nobis opes, tela, viri, naves; ſi cum fortuna non inclinatus eſt hominum favor, ſed Dei beneficio plures nobis ſtudent afflictis quam florentibus, ne deſperemus aut ſuccumbamus adverſis; levitatis & inconſtantiæ rerum humanarum memores, quotieſque victores à victis, obſeſſores ab obſeſſis, multi à paucis fuſi fugatique ſint. Sed ante omnia in maximam ſpem nos erigat cauſæ noſtræ juſtitia. Nulla enim in re, non pecunia, (quamvis vocetur nervus bellorum) non multitudine militum & auxiliis ſociorum tantum præſidii reſpublica habet quam in cauſa. Hæc enim animos confirmat, bonaque conſcientia, quæ omni thorace aut clypeo validior eſt, communit. Quî enim diffidant armis, qui cauſæ ſuæ confidunt? quî tergiverſentur aut gradum retro dent in

prœliis, qui juris ſui contra injuſtos hoſtes aſſerendi gratia pericula ſe adire cogitant? Illi potius, illi ſibi timeant, qui inſolentia & prava dominandi libidine accenſi nobis innocentibus innumera damna & injurias intulerunt: illis male ſibi conſcia mens, & tot ſcelerum Pœnæ terrorem incutiant, animos demant, & conſternatos in fœdiſſimam fugam vertant. Sed eadem ante omnia æquitas cauſæ Deum nobis benevolum & propitium ſperare jubet. Maxima, libenter fatemur, & innumera peccata, quæ patriam noſtram obſident, Deum nobis hactenus adverſum & inimicum reddiderunt, & niſi is noſtrorum miſertus ſupplices reſpexerit, ultimum nobis exitium minantur. Inter quæ quidem familiam ducunt Dei & religionis, legum & libertatis contemptus; avaritia & ambitio in perniciem reipublicæ graſſantes; luxus, ſtupra, adulteria aliaque affluentis fortunæ dedecora. Hæ ſunt funeſtæ civitatis noſtræ peſtes, quæ illam maxima vi convellunt. Quid tamen dicam? habent & hoſtes ſua vitia, quæ illos ſibi non minus ac nobis Deum offenſum timere ſuadent. Ne de aliis dicam, habent varia ſuperſtitione imbutas mentes, & maculatas civium ſuorum cæde manus. Et illa iram Dei provocant; & illa vindictam ejus efflagitant. Sed præter hæc omnia,

omnia, iidem hujus funeſti belli, improba maris imperio potiundi cupiditate incitati, auctores extiterunt: iidem jus humani generis & ſanctiſſimam fœderis modo initi religionem violantes, bello haud indicto nos inopinantes aggreſſi ſunt: iidem cum contemptu Deorum & hominum communium ſacrorum hoſtes in nos concitaverunt: iidem, quos noſtrorum & ante bellum & in bello ceperunt, miſerrimos mortales, beſtiarum inſtar tractant, fame, frigore, ſiti, inopia, carceris fœtore, ſervilibus operibus & mille cruciatibus enecant: parum memores amoris, quo noſtræ ceremoniæ ipſos hoſtes complecti jubent; quanto magis ſymmyſtas & eodem ſacramento obligatos?? Et quum nos contra illorum captivos benigne & clementer exciperemus, quamvis non ignari ærumnoſæ noſtrorum apud illos conditionis (ſi qua crudeles animi ad mitiorem ſententiam flecti poſſent) adeo hoc illos non permovit, ut creverit propemodum cum noſtra moderatione illorum impotentia, cum noſtra manſuetudine illorum feritas, cum noſtra clementia illorum crudelitas. Licet igitur aliis virtutibus ab illis ſuperaremur, hoc tamen bello longe illos vincimus, & origine & adminiſtratione ſanctiores. Quæ Deum

quoque Opt. Max. tandem nobis adjunctura eſſe certo confidere debemus. Solummodo illum precibus, ut decet, fatigantes, fortiter faciamus, & pro ſalute patriæ omnibus viribus & invicto animi robore propugnemus.

FINIS.

THEO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

THEOPHILI HOGERSII

ORATIO

DE

PACE

Batavorum virtute cum Britannis glorioſiſſime confecta.

O Lætum & candido, ſi quis unquam, ſignandum calculo diem! O exſpectatum & innumeris votis expetitum tempus, piæ, certæ & honorificæ cum validiſſimo atque infeſtiſſimo hoſte pacis initium! Scilicet poſt triumphatam Hiſpaniam, (cum qua de aris & focis ſeptuaginta per annos certavimus) & illuſtrem ſimul ac ſalutarem animorum & corporum libertatem aſſertam, ſoli reſtabant Britanni, qui fructuoſa navigationum & mercaturæ libertate, adeoque fortunis noſtris nos exuere poſſe videbantur. Hi enim & maritimis opibus excellebant, claſſibuſque & prægrandibus bellicis navibus non modo nos, verum etiam omnes orbis

terrarum gentes ſuperabant, atque in Oceano (quod & ſibi arroganti titulo adſcribere & vulgo jactare non dubitaverunt) facile regnum tenebant. Sed quod caput eſt, illorum inſula & portus ita nobis oppoſiti, ita littora noſtra obſident, ut commerciis Batavorum turbandis in ipſorum cervicibus de induſtria ab ipſa natura collocati eſſe videantur. Iſta igitur tam navali potentia quam vel maximè natura loci adductum, ut videtur, & impulſum invidum & improbum genus hoc funeſto & utrique populo penè exitiabili bello nos involvit. Quum enim mercatorum noſtrorum induſtriæ & parcimoniæ ſe pares non eſſe, ideoque opes & divitias, quæ illarum virtutum præmia eſſe ſolent, nobis multo majorem in modum affluere animadverterent: & ſitus inſulæ ſuæ opportunitatem ac ingenium portuum ad piraticam faciendam aptiſſimorum pariter conſiderarent, quod ingenio & virtute conſequi non poterant, vi & rapinis obtinere; ac ſi armis reſiſteremus, navium & tormentorum ſuorum robore noſtras claſſes nullo negotio deſtruere, & ſic fractos ac debilitatos ſub jugum mittere & parendi leges ſe dicere poſſe putaverunt. Huc accedebat, quod ante aliquot annos, quum tyranno Cromwellio duce nos itidem bello an latrocinio impio aggreſſi eſſent, Fortunam ſatis

faven-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

faventem experti, ſuſtulerant animos; & nunc ſub legitimi ac maximi regis auſpiciis longe potentiores & auguſtiores, utpote regales Deos, ſibi adfuturos promittebant. Sed Dei opt. max. beneficio ut ante Hiſpanorum depulſa dominatio, ita nunc maritima libertas contra Anglos vindicata: & hoſtis ferociſſimus, qui non modo ſpem ſed & certam perſuaſionem imperii Batavorum animo ſuo induerat, armis noſtris ad fœdus æquum compulſus eſt. Quod quidem fœdus tantò ſpecioſius nobis eſſe debet, quàm belli principium non modo anceps ſed & pene ultimum fuerat: Sicut enim pulchrius aſtra nitent, & gratioribus nos Sol colluſtrat radiis, quando cælum longo tempore nubibus obtectum & abſconditum fuit, & multi dies imbribus fœdi præceſſerunt; ita hæc pax nobis eò gratior & acceptior eſſe debet, quò majoribus periculis liberati, & præſentiſſimo tantum quod exitio erepti ſumus. Quid igitur melius & opportunius in hoc publico liberarum Belgii civitatum gaudio facere poſſimus, quam ut hujus belli fortunam meditemur, & principium ejus cum exitu componamus, quò immenſa & ſingularis Dei benevolentia (quod unicum piis propoſitum eſſe debet) & in armorum noſtrorum felicitate & pacis gloria luculentius appareat. Nihil eſt, ampliſſimi Pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

tres & fortiſſimi cives, quod veſtræ benevolentiæ & attentioni, dum eum quem propoſui ſermonem exequar, diffidam. Cognovi enim & perſpectos habeo melius (quid autem exploratius eſſe poteſt?) noſtrorum patriæ & libertati, quarum virtus & fortuna prædicabitur, devotos animos, & acerrimum in rempublicam, cujus triumphus canetur, ſtudium. Quis vos ſperet averſos & clauſis auribus excepturos narrationem, quamvis incultam & agreſtem, illarum victoriarum & pacis, quarum immenſis deſideriis præ aliis omnibus flagraviſtis, quaſque incredibili cum lætitia accepiſtis & complexi eſtis? Si Græci olim libertatem à Romanis, devicto Philippo, civitatibus ſuis permiſſam in Corinthiaco mercatu ſemel pronunciari ſatis non habuerunt, ſed tam gratam vocem non ſecus ac modulatiſſimum aliquem tibiarum aut fidium cantum ſæpius audire, & præconem iterum iterumque repetere voluerunt; an vos navigationum & maris libertatem non ab aliis precario acceptam, ſed veſtrorum civium virtute partam, aliiſque populis ac toti propemodum orbi (cui una ſervitus imminebat) reſtitutam iterum vobis repeti, & egregia illa facinora, quibus hanc aſſecuti & æternam famam adepti eſtis, in memoriam crebro revocari non ſuſtineretis? Angli cum tantum

nefas,

nefas, ut diximus, animo concepiſſent, & innoxios Batavos ac duplici fœdere divino & humano conjunctos injuſtiſſimo bello invadere decreviſſent, non ipſi modo bellicas copias quantumvis ingentes & quibuſlibet Europæarum gentium pares comparaverunt, ſed multos etiam alios populos in nos concitaverunt. Hinc Septentrionales haud dubiè in partes trahebant; inde Monaſterienſem pontificem & capitales ſacrorum, quibus & ipſi initiati erant, hoſtes (quo non perducunt hominum animos quum ſemel inſederint omnium ſcelerum matres ambitio & avaritia?) & promiſſis pellexerant & pretio conduxerant, ut dum ipſi à fronte cum bellica claſſe nobis occurrerent, hi pedeſtribus copiis terga noſtra adorirentur, atque ita mari terraque diſtrictos & velut indagine clauſos opprimerent atque ſubjugarent. Neque iis contenti ſæviſſimi hoſtes, intra viſcera noſtra proditiones moliebantur, ut ſi armis & aperto Marte deſtinata exequi nequirent, inteſtinis certe diſſidiis & domeſtico ſcelere perpetrarent. Non tamen tot viribus ſuccincti, tot auxiliis & machinis præmuniti legitimo more bellum indixerunt, ſed indigno ac inaudito Chriſtianis & quidem reformatis exemplo, non modo contra naturæ & gentium jura, verum etiam contra jurata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

pacta, contra fidem paulo ante datam & promiſſa ſæpius iterata; non latronis Cromvellii more nos inopinantes ſub amicitiæ ſpecie aggreſſuros, nec vim nobis allaturos, niſi bello aliquot ante menſibus denuntiato; contra has, inquam, tam ſacroſanctas & fidei plenas pollicitationes multas imbelles ſed onere dites mercatorum naves opinione pacis illectas in portubus ſuis aut vicino mari deprehenderunt, in ditionem ſuam redegerunt, prædam vendiderunt, ut illius pretio belli ſumptus ſuſtinerent. Præterea in Africam & novum orbem infeſtas claſſes præmiſerunt, qui, nobis ſecuris & fæderi modo tam ſancte percuſſo fidentibus, noſtras colonias occuparent, è caſtellis præſidia ejicerent, & miſeros Batavos barbarorum in modum excruciatos trucidarent. Quid quæſo eſt latrocinium, quid juris gentium, quid fidei violatio, quid denique perjurium ſi hoc non eſt? O religionem & juſtitiam veterum! O ſacra Fecialium jura! Quam his Chriſtianis diſſimiles iſti gentiles, quam diſpares? quanto rubore hos, ſi frontem haberent, illorum exempla ſuffunderent? Illi non inferebant bella niſi injuriis prius ab aliis laceſſiti, hi ab injuriis bella incipiunt: illis bellum ante legitimum non erat quam Feciales jure egiſſent, & ſatisfactionem fruſtra poſtulaſſent; hi nec legatis res repetentibus

ſatis-

ſatisfaciunt, & veteres injurias novis cumulant: illi legatos ſacroſanctos & inviolabiles habebant, hi illos in carcerem conjicere non dubitaverunt. Satis jam patientia noſtra fatigata erat, nec tot injuriarum & contumeliarum propulſatio ſine ſummo reip. damno & dedecore amplius differri poterat. Igitur poſtquam omnia incaſſum tentavimus, tergiverſantes tamen & gementes, humanique & Chriſtiani ſanguinis, quæ ſine dubio maxima impendebat, profuſionem dolentes, claſſicum tandem canere & vim vi repellere coacti ſumus. Sed juſtitiæ quidem cauſæ noſtræ in belli principio fortuna minime reſpondit. Inſtructis enim hinc & illinc maximis & tam viris quam tormentis munitiſſimis claſſibus, quum magnis utrinque animis prælium commiſſum eſſet, prætoria Batavorum navis cum imperatore, hoſtium an proprio igne, conflagrata, tantum noſtris terrorem injecit, tantoſque hoſtibus animos addidit, ut nos turpiſſima fuga portus repetere compulerint. Jam ruina inſtare videbatur reipub. noſtræ, & fatale illi tempus ad interitum veniſſe fanatici canebant. Igitur ab omnibus partibus belli moles creſcebat. Britanni proſpero rerum ſucceſſu tumidi altius ſpirabant, æquiſſimas pacis leges oblatas repudiabant, & in Oceano cuncta impune agebant atque fere-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

bant. Monaſterienſis, qui belli fortunam hactenus fuerat ſpeculatus, ubi noſtram cladem accepit, incurſiones in vicinas regiones faciebat, vicos & agros vaſtabat, caſtella & urbes expugnabat ac diripiebat. Proditores in ſinu gaudebant, plebem in proceres qui ſummæ rei præerant concitabant, bonos viros & patriæ libertatiſque ſtudioſos ſuperbè excipiebant, & criminibus ac conviciis inceſſere non abſtinebant. Actum profecto de nobis videbatur, niſi Johannes Wittius & Michaël Ruterius huic ſeculo contigiſſent, quorum alter conſilio & conſtantia labantem rempublicam ſuſtinuit, alter manu & armis rem reſtituit. Itaque illo auctore præcipuo & duce contra fortunam aſſurgere & velut ab inferis emergere Batavus, novam claſſem apparare (quæ ipſa propemodum clade major & validior extitit) Gallorum & Danorum potentiſſimos reges belli ſocios ſibi adſciſcere, cum Brandenburgicis & Lunenburgenſibus principibus fœdus ferire, novas legiones conſcribere, veteres ſupplere, omnia denique facere quibus ad melioris fortunæ exſpectationem hominum animi erigi ſolent. Sed prima reſpirantis &, ut ſic dixerim, reviviſcentis patriæ ſpes fuit Ruterii ex Africa & America felix adventus; qui totam maritimam oram perpopulatus graviſſimis damnis hoſtes affecerat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

cerat, multas naves & onerarias & bellicas ac munitiſſima caſtella occupaverat, & præda hoſtili onuſtus victor domum redierat. Cui autem melius navalis belli ſumma crederetur, quam huic viro, qui tot tantaque virtutis ſuæ experimenta tam hoc quam proximo bello dederat, cujuſque nunc maxime caput recentibus utriuſque orbis laureis redimitum florebat? Illo igitur imperatore iterum tentata fortuna eſt: ſed felicioribus auſpiciis & digno optima cauſa ſucceſſu. In duplici enim intra quatriduum conflictione bis in fugam actis hoſtibus duplicem victoriam reportavimus. Primum per binos dies pugnatum eſt, ingenti hoſtium pervicacia renovato ſæpius atque inſtaurato certamine. Iterum quinque & viginti integris navibus hoſti ſubſidio miſſis, quum noſtra claſſis priori prælio fatigata, & ipſa victoria, dum victæ hoſtium naves domum deducuntur, non parum imminuta eſſet. Hic dies libertatem & imperium noſtrum concuſſum & labefactatum in tuto collocavit; hic veterem Batavorum gloriam, quæ priori prælio non parum attrita erat, ad ſummum culmen & faſtigium evexit; hic tandem cum claſſe depreſſit hoſtium arrogantiam, & oſtendit, quod illi jactanter ſemper negaverant, Britannos etiam navali bello vinci poſſe. Quin quod ſummum

nefas

nefas & ſuis ducibus ignotum Batavi ſemper prædicaverunt, ipſe vivus in manus noſtras venit hoſtium imperator. Hoc Belgarum facinus admirandum, hæc laus æterna & incomparabilis. Quibus autem ſupplicationibus & triumphis digni ſunt illi, qui prudenti conſilio, incredibili fortitudine, partim etiam vitæ ſuæ profuſione hanc tam illuſtrem nobis victoriam pepererunt? Nunc ſuum Themiſtoclem Græcia: nunc Regulos, Catulos, Æmilios ſileat Roma. In Britannis Perſas & Pœnos vicimus, in Ruterio priſcos illos heroas æquavimus, interno mari externum penſavimus. Quis tam atrocem tot dierum pugnam poſt omnium ſeculorum omnem memoriam cum hac componere queat? Hoſtem ſemel pepuliſſe & fugaſſe lauro & curru dignum ſemper facinus viſum. Hic non ſemel aut bis, ſed ter quaterve, pene uno ſpiritu & ſine intermiſſione pugnatum eſt. Non victæ imbelles Aſiæ aut Africæ manus, ſed claſſes Britannorum, qui jam olim navali gloria celebres, & tum maxime hac belli parte invicti habebantur; non expugnatæ naves longæ, non triremes aut quadriremes; quæ tantum abeſt ut tormentorum hujus ſeculi, immenſi ponderis glandes & tota incendia evomentium (quales Ætnæ aut Veſuvii crateres eructant cum flammis moles) ictus ſuſtine-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

re poſſint, ut & minimis Oceani noſtri æſtibus ſuccumbant: ſed naves tantæ magnitudinis & roboris, ut ſingulæ validiſſimis caſtellis pares ſint; tot autem tantiſque bellicis tormentis inſtructæ, ut urbes munitiſſimas vincant. Decedamus aliis nationibus & principi quondam gentium populo in terreſtris belli laude, in navali diſciplina & uſu & exercitatione nulli mortalium cedimus, & Romanos ſuperavimus. Verum enimvero (quod ſumma Batavorum admiratione mihi dignum ſemper viſum) qua re illi in primis plurimas victorias & ampliſſimam gloriam conſecuti ſunt, eadem nos quoque res maximas geſſimus. Romani, quum Pœnis aliiſque nauticis populis navium ſtructura & agilitate inferiores eſſent, fortitudini vero ſuæ & animorum robori confiderent, in maritimis pugnis hoc unum ſtudebant, cum hoſtibus cominus certare & manus conſerere. Itaque hi nihil magis extimeſcebant, quam corvos & ferreas Romanorum manus, quæ navium tabulatis improviſo injectæ adeo conſtrictas & devinctas tenebant, ut tanquam in ſolido decernere cogerentur. Similiter quum Britanni navium & æneorum tormentorum mole nobis multum præcellerent, & propterea nullum illis negotium eſſet noſtras minores & minus validas naves procul & impune

pune

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

pune conficere ac profundo mergere; noſtro contra ferro tantæ tabulatorum & trabium craſſitudini perfodiendæ ac diſſolvendæ planè impari; Belgæ, quos eadem quæ Romanos vincendi cupiditas, idem animi ad gloriam ardor agebat, inter telorum jactum naves hoſtiles adorti, & veloci impetu in illas ſubvolantes cum hoſtibus in propriis eorum carinis de illarum poſſeſſione decernebant. Nihil illo pugnæ genere formidabilius Anglis accidere poterat. Longe enim illis ingentes machinæ, & tignorum ferro & ære munitorum denſitas, quum illi nautæ Batavi, illud pernix & navibus conſcendendis quaſi natum genus cum ſtrictis mucronibus in proris & puppibus ſubito apparerent. Sæpe tam inopinata re perterriti abjectis armis in mare deſiliebant, nando ſalutem quærentes; ſæpe tanta hoſtium audacia obſtupefacti ſe cum armis & navibus dedebant. Sed quamvis hoc prælio infractæ mirum in modum hoſtium vires eſſent, & jam ante pugnam terreſtri pace facta Monaſterienſis præſul ab armis diſceſſiſſet, non tamen ab incepto deſtiterunt, ſed dubiam belli aleam rurſum tentare, & certæ ac piæ paci incertum & impium Martem præferre decreverunt. Denuo igitur navibus inſtructis, ſemel ancipiti (dum turpiter à parte claſſis deſerimur) victoria prælium commiſ-

ſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ſum eſt. Mox nos laceſſentes & provocantes aggredi non ſunt auſi, ſed nobis ultro irruentibus bis ceſſerunt. Donec tandem vi ventorum & vehementi fluctuum agitatione diremtum bellum, quaſi intercedentibus majori Chriſtianorum cædi cælo ipſo atque Oceano. Subductis igitur ante hyemem utrinque claſſibus, & cum mari clauſo maritimo ceſſante bello, hoſtis deſperans armis, leoninæ pelli adſuit vulpinam, & in pacis ſtudia inclinatum animum præferens legatos Bredam ditionis noſtræ oppidum mittit. Sed iniquis Anglorum poſtulatis in longum trahitur illa pacificatio. Quos hoc agere apparebat, ut quoniam ſumptibus & jacturis (quod ſatis conſtat) exhauſti claſſem alere nequeunt, tum in portubus ſuis, ut feræ in ſuis cubilibus, deliteſcentes & ab omnibus partibus imminentes maris interim latrocinio anhelantem inopiam recrearent, tum nos navibus apparandis & claſſibus tuendis fatigarent & attererent, & fatigatos integri ac recentes, tam à nobis captarum piraticâ navium mercibus diſtractis, quam temporis intervallo (ceſſantibus interim belli impenſis) pecunia recuperata invaderent. Verum hæc quoque machinatio divino auxilio & clariſſimorum ac fortiſſimorum virorum cura & virtute irrita fuit, & in ipſorum caput nobis ſtructa fraus recidit. Claſſis

enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

enim noſtra, ſedentibus & ſpectantibus Anglis, immenſo ſumptu apparata atque omnibus rebus inſtructa, ut inimicorum artes eluderet, magnum aliquod & hoſtibus improviſum ac inopinum facinus aggreſſa eſt. nec animis fortuna defuit. Naves enim illas maximæ molis, illa vaſta maris caſtella, munimina & tutamina regni, præcipuas inſulæ opes & unicum maritimi imperii firmamentum (quibus ſolis hoſtis confiſus, & in bello ſecure pugnam inire & in pace in dextram aurem dormire ſolebat) in nobiliſſimo Britanniæ portu operibus & munitionibus firmato, tum navibus ſubmerſis & catenis expanſis ita obſerato, ut licet alas ſibi accommodaſſent, eò penetraturos Batavos minime crederent, Herculeo auſu occupare aut diruere conſtituit. Primo autem caſtellum, quod in dextro portus cornu poſitum ora ejus communibat, intra aliquot horarum ſpatium occupavit. Tum Brakelio fortiſſimo viro duce navem bellicam, cui catenæ cuſtodia commiſſa erat, audacia incredibili adorta primo impetu cepit, catenamque diffregit. Quo facto toto orbe decantatam majorum laudem in bello Chriſtianorum contra Turcas, apud Tamiatim Ægypti ſerrata nave ruptis catenis, reportatam Brakelius, (nam & ipſe civis Harlemenſis natus) poſt tot ſecula retulit, oſten-
ditque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ditque Batavos à priſca proavorum virtute nequaquam degeneraviſſe. His igitur obicibus & repagulis amotis, naves omnibus ſuis munimentis nudatas partim combuſſit, alias & inprimis prætoriam & Caroli regis nomine inſignem cepit; atque ita victrix & ſine controverſia maris potens littora hoſtium pervagata, hic adjacentes inſulas occupans, ibi excenſum faciens aut minitans, totam inſulam tanto pavore circumfudit, ut nemo è littore navem Batavam proſpiceret, quin in ſuum exitium adventare pertimeſceret. Quid enim illis intentatum aut impoſſibile, qui firmiſſima caſtella exſcindere, invictas ante naves rapere aut incendere, & hoc ante regiæ urbis & Palatii oculos, fumo denique ipſius regis ora opplente, auſi auſoque potiti eſſent? Quum autem ſimul inciſos regni nervos & amiſſum maris imperium animo volverent, uno omnes ore pacem exoptare, belli auctores & otii moras conviciis proſcindere, regem precibus fatigare & ad abſolvenda celeriter pacta propemodum cogere. Alia igitur ſtatim rerum facies Bredæ. Illi qui antea pacificationem duxerant, noſtros illam perficere cupientes illuſerant, (quo ridentes, vobis ſumptuoſum illum claſſis veſtræ apparatum, ſi pax tam celeriter conficiatur?) aliam perſonam induere, maturare fœdus & finem bello

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

lo quam citiſſime imponere. Hac igitur noſtra victoria (cur enim vera fateri nollemus?) bellum patratum & præter maritimum imperium honorifica & glorioſa (quam nunc celebramus) pax reportata eſt. Hac hoſtis arrogantiſſimus ſpe ſua dejectus ad juſtas tandem conditiones deſcendit. Sine hac fruſtra adhuc Bredæ legati morarentur & tempus in vanum conſumerent. Veſtrum hoc facinus, CornelI WittI, Ruteri, GentI, aliique eximii viri; veſtra virtute hoc otium nobis confectum eſt. Quam vani igitur fuêre illi homines (quos nunc ipſa experientia ſtultorum magiſtra confutavit) qui hoſtem hac clade denuo irritatum & in nos inflammatum, adeoque à pace averſiorem fore putaverunt? Quaſi vero, qui leoni aut lupo ungues atterat aut dentes effringat, qui aquilæ aut vulturi pennas amputet, illa animantia non pacatiora ſed efferatiora reddat. Quod ſi hoſti libuiſſet ad iſtius damni ultionem animum ſuum quam maxime concitare, excandeſcere propterea infinitum quantum, & omnia mala nobis denuntiare, quid quæſo aliud feciſſet quam ſe nobis & univerſo orbi deridendum propinaſſet? Ira viribus deſtituta inanis & ridicula eſt. Sed rex Britanniæ ſapientior, ſuis & noſtris viribus penſitatis & regni opes hac clade admodum debilitatas animadvertens, cedendum tempori ac fortunæ paren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

parendum; & æquiſſimas à nobis ſæpius oblatas pacis leges accipere ſibi regnoque ſuo longe ſalubrius exiſtimavit, quam in bello infortunato temere perſeverare, & ſerpentium inſtar capite abſciſſo incaſſùm cauda minari. Nihilo his ſaniores ſunt illi vates malorum ominum (quæ Deus avertat) prænuntii, qui fixam ſtabilemque, quoniam vi & armis obtenta ſit, pacem fore negaverunt. An vero unquam bellum à regibus aut tyrannis exortum æqua lege finitum meminêre, antequam illi innocentium populorum (in quos injuria invaſerant) fortitudine & conſtantia eò fuerint redacti, ut voti potiundi & propoſiti aſſequendi ſpem omnem depoſuerint, & niſi inviti ac tergiverſantes & pedibus quaſi ad pacem tracti ſint? Nec cauſa non manifeſta eſt. Ea regum ſuperbia & ambitio, atque ab omni ævo fuit, ut à ſententia & inſtituto, in quod ſemel animo ſuo incubuerunt, nunquam niſi ultimo exitio abducantur. An igitur illi, quando nulla legitima cauſa, multo minus neceſſitate, (quæ ſola bellorum legitima & ſonticа cauſa eſſe debet) ſed improba dominandi & imperii proferendi libidine impulſi, bellum aliis intulerunt, antè ſententiam mutabunt & à propoſito deſiſtent, quàm armis victi ſuas ſpes vanas eſſe, & quos ſe inferiores putaverant ſibi pares aut ſuperiores perſpexerint? Ne

aliunde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

aliunde exempla mutuemur, nunquam ante Hiſpanus & nunc Britannus juſtum & honeſtum fœdus nobiſcum ferire in animum induxiſſent, ſi nos debellare potuiſſent. Sed quis tandem ſatis miretur ſapientiſſimorum liberi Belgii Ordinum in hoc fœdere tum conſtantiam tum moderationem? Poſt primum enim prælium amiſſum, quum terra marique ab hoſtibus quaſi collo premeremur, non amiſerunt tamen animum, neque iniquis legibus pacem inire ſuſtinuerunt. O ſingularem ſpiritum ſenatus noſtri! O horribilem in tot adverſis fiduciam! Appii Claudii, viri illuſtriſſimi, cui Cæco cognomen fuit, gravitatem & conſtantiam eloquentiſſimi laudum ſuarum præcones Romani omnium ſeculorum memoriæ inculcaverunt. Senatu etenim poſt infelix cum Pyrrho certamen ad indecoram pacem inclinante, ille, quamvis ob ſenectam & cæcitatem aliquot annis curia abſtinuiſſet, eò ſe deferri lectica juſſit, & magnifica oratione habita turpiſſimas conditiones diſcuſſit, Quod ejus conſilium ſane, non, ut cæci fuerit, cæcum, (quemadmodum judicant homines in hiſtoria & antiquitate talpis cæciores) ſed prudentiſſimum ac perſpicaciſſimum, reique publicæ utiliſſimum fuit. Statim enim poſt & Pyrrhus bello victus eſt, & Romani uni-

ver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

verſam Italiam in ditionem ſuam redegerunt. Non certe minus egregia & memorabilis Ordinum noſtrorum perſeverantia. Quamvis enim bello victi, Oceano ejecti, ab hoſtibus circumventi, & prope ad incitas redacti eſſent, nullo tamen modo ad infamem pacem animos inclinaverunt. Credebant & certo confidebant, cauſæ ſuæ juſtitiam felicem belli eventum manere: ſæpe Deum tentandi cauſa in principiis bellorum bonos aliquantulum prodidiſſe, ut conſtantiam, fortitudinem, ſpem atque fiduciam opis & auxilii cæleſtis ſibi approbarent. Recordabantur belli olim ab Iſraëlitis contra Benjamenitas geſti, quo illi, quamvis Dei juſſu (ne quis de cauſæ juſtitia dubitare poſſit) pugnarent, ab his tamen ſæpius fuſi fugatique, tandem precibus & ſacrificiis Deo exorato victores extiterunt. Sed ante omnia animis illorum obverſabatur belli à patribus pro libertate contra Hiſpanos geſti fortuna; quoties tum illa fidem mutata novaſſet, quamq; deſperata initia feliciſſimum exitum habuiſſent. Non igitur abjiciendum ſtatim animum quum res male cedit, ſed contra fortunam acrius annitendum eſſe cenſebant. Sæpe illam devictorum firmitate & animi robore in partes tractam. Labori & conſtantiæ omnia demum cedere. Timidi & ignavi eſſe ad primum ictum con-

cidere, nec res labantes reſtituere conari. Verum ut ingens hæc & nobilis conſtantia in adverſis, ita major & nobilior illis in ſecundis moderatio fuit. Animos ſcilicet eoſdem in omni fortuna geſſerunt, neque eos aut calamitates depreſſerunt aut extulerunt victoriæ. Quas enim victi victoribus conditiones obtulerant, eaſdem deinde victores victis obtulerunt. Hoc pulcherrimum factum omnia alia longè ſuperat: hæc illius inclytæ Romanorum virtutis, quam toties ad cælum tollunt illi qui res eorum geſtas poſteris prodiderunt, ſolida & expreſſa imago. Non fuit tantæ molis per totum quatriduum reportare victoriam, non regium cum navibus portum, quod ipſe hoſtis heroicum facinus appellare non dubitavit, expugnare. Illic enim hoſtes hoc eſt alios vicimus, hic noſmetipſos: illic cum navibus & caſtellis negotium nobis fuit; hic cum proprio corde depugnavimus, cum ira & vindicta, ambitione & avaritia, quæ homines cætera fortiſſimos & invictos de gradu dejicere ſolent: illic de hoſtium ignavia vel fortuna triumphavimus, hic de ipſo bello & communi Marte trophæum ereximus. Non fuiſſet fortaſſis aliis populis, non regibus & principibus eadem modeſtia & temperantia, ſi eadem quæ nos ab hoſtibus perpeſſi, & æqualem deinde fortunam ſortiti eſſent. (Niſi nobis per-

ſuadere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ſuadere velimus, homines impotentis, ambitioſi aut Martii ingenii, qui leges intra majeſtatem ſuam putant, ſummam gloriam in infinito imperio ponunt, & ferarum inſtar bellis & ſanguine gaudent, tantas contumelias & injurias ulciſcendi facultatem oblatam repudiaturos, ſimulque regni ampliandi pulcherrimam occaſionem è manibus elabi paſſuros) Vix enim intra triennii ſpatium claſſem noſtræ parem exſtruere & adornare Britannus potuiſſet. Interim nobis maris dominis arbitrio noſtro omnia facere, non ſingulas Britanniæ urbes, ſed totam ſimul inſulam obſidere, omnes aditus claudere, tranſmarinarum mercium & in primis navium fabricationi idonearum advectionem impedire, inopia denique omnium rerum premere, & ſi majus nihil affectaremus, duriſſimis ſaltem conditionibus pacem vendere licuiſſet. Sed mitior Ordinibus noſtris ſententia ſedit; ſat laudis & gloriæ acquiſitum, licet non ad internecionem dimicatum ſit, exiſtimantibus; non defatigandam fortunam, ſed reverenter habendam; ſæpe nimis oneratam victores deſeruiſſe & ad victos transfugiſſe; parcendum, quantum ſalva dignitate reip. fieri poſſit, ſanguini humano, & quod majus eſt Chriſtiano, ac quidem reformato; univerſo denique orbi ut initium ita finem funeſtiſſimi belli approban-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

dum eſſe. Quid nunc aliud ſupereſt, Auditores, quam ut primum Deo opt. max. immenſas & infinitas gratias dicamus, qui ut olim auctor & conditor reip. noſtræ fuit, ita nunc illam, ſicut parens unicam filiam, cuſtodivit & conſervavit, contra immanem hoſtium vim defendit, & quum res noſtræ inclinatæ eſſent, inſultantes hoſtes repreſſit, & modo victis non modo animos vincendi ſed victoriam voto & fide majorem dedit. Quod vero initium belli minus auſpicatum nobis fuit, non divino frigori ſed noſtris vitiis imputandum. Præter cætera enim peccata, quibus Deum contra nos irritaveramus, claſſis noſtræ magnitudo, præfectorum & militum robur & copia adeo nos extulerat & inflaverat, ut vel invito cælo victoriam nobis promitteremus, & cladem hoſtium non tam Deo quam armis & viribus noſtris acceptam referendam eſſe crederemus. Quum autem divinum numen nullum vitiorum genus majori odio proſequatur, quam ſuperbiam & faſtum, hanc quoque licet cariſſimæ gentis inſolentiam ferre non potuit. Neque tamen nos pro meritis punivit, ſed leniter tantummodo caſtigavit: & ut bonus parens liberos peccantes plectit, non ut illorum cruciatu ſe oblectet aut ſuppliciis ſatiet, ſed ut illos ad meliorem mentem convertat, dignoſque in poſterum

favo-

favore & gratia ſua efficiat; eodem modo Deus erga nos ſeſe geſſit. Quam facile enim precibus & ſuppliciis noſtris flexus eſt? quam cito nobis volens & propitius factus? quam præſens affuit & auxilium tulit? Ut pene oculis noſtris videre potuerimus, illum priorem cladem invitum, & (ſi ita loqui fas eſt) dolentem nobis intuliſſe; immò non aliam ob cauſam, quam ut pœnitentia & lacrymis noſtris beneficia, quæ nobis deſtinaverat, quaſi mereremur. O immenſum favorem! ô gratiam incredibilem! Eſt idem Deus ille Deus, qui majorum cervicibus injuſtum olim ſervitutis jugum detraxit, qui toties illis in extrema tegula ſtantibus inſperato opem dedit, res eorum inextricabiles toties expedivit, & ad tantam felicitatem, illamque ſingularem & admirabilem libertatem perduxit. Idem Deus nunc opus ſuum ſtabilivit, & rempubl. à ſe fundatam firmavit & communivit. Sed ut Deo noſtro ſumma & ſola victoriarum & pacis hujus gloria competit, ita ipſius imperio *ſint etiam ſua præmia laudi*, viriſque illis, quos Deus adhibere voluit, quique ſua cura, vigilantia & fortitudine plus quam humana tantas res effecerunt, quibus illa mortalibus gratiſſima pax cælo quaſi deducta eſt, debitos honores & laudes impertiamur. Vos inprimis, Johannes & Corneli Wittii, illuſtriſſimorum fratrum par, admire-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

miremur; veſtram ſapientiam, prudentiam, fortitudinem, induſtriam & conſtantiam laudemus & prædicemus. Vos in hoc bello non tantum graviſſimorum ſenatorum, verum etiam fortiſſimorum ducum officio functi eſtis. Nam quæ veſtro ingenio excogitata vel expenſa, & à ſenatu decreta erant; non aliis commiſiſtis, ſed ipſi exſequenda ſuſcepiſtis & fortiſſime perpetraſtis. Nec modo, ut inquit ille, curiam verbis, ſed rerum etiam geſtarum fama terrarum orbem impleviſtis. O unicum antiquitatis inſtar! O eminentes Scipionum, Fabiorum, Marcellorum effigies! Hi enim viri, quibus Roma, quanta fuit, omnem ſuam magnitudinem & gloriam debuit, & in ſenatu togati ſapienter de republ. conſultabant, & egreſſi curia, ſago togam mutantes, ſenatusconſulta magno & forti animo exſequebantur. Vos hanc veterum conſuetudinem retuliſtis & illorum egregia ſed noſtro ſæculo incognita aut malè vituperata exempla revocaſtis, ſimul optimi ſenatores & maximi imperatores. Ite nunc bellatores viri, & togatos timidos atque ignavos vocate, oratoribuſque ac legum peritis arma tractandi bellique gerendi & ingenium & animum deeſſe jactate. Hi vobis monſtraverunt, ſenatorum pectoribus & ſummam rei militaris prudentiam & minimè vulgare robur inſidere poſſe. Utinam

illos

illos plures vel toga vel ſago inſignes viri imitarentur, & pacis ſtudiis bellicas artes copularent! Non pejus profecto cum republ. noſtra ageretur, ſi præſides illius & tutores illam ſimul & in otio regere & contra hoſtilem vim defendere poſſent. Neſcio enim quomodo concordiæ civium minus conveniat illud togatorum ſagatorumque diſcrimen, & illa ordinum diviſio animorum quoque diviſionem gignere videatur. Minori certè cum cura & diligentia reip. conſilia dare videntur, qui in aliorum humeros illorum explicationem ſe rejecturos periculi immunes cogitant; & viciſſim minus fideliter & fortiter ſenatusconſulta ad effectum adducere, quorum ipſi participes non fuerunt, infelices exitus conſilii auctoribus attributuri. Contra ubi unus idemque negotium quod ſuaſit obire & gerere debet, is & in ſententia dicenda magis providus & ſollicitus eſt, & ut illud optime cedat honoris ſui & famæ maximè intereſſe cenſet; ne mali conſilii pejor adminiſtrator eſſe videatur. Ne vero quis mihi hic clariſſimorum virorum ignobilitatem objiciat. Quamvis enim illos non pœniteat gentis & imaginum familiæ ſuæ, non præferunt tamen, fateor, & oſtentant (quæ aulici & nobilia mancipia ſolummodo mirantur & ſtupent) baronatus, comitatus, ducatus, quæque alia barbaris ſæculis hominum ſuper-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ſtitio ambitioſa invenit vocabula. Tandem aliquando ſapere incipiamus, liberi Belgæ, & illos, quos vulgus ſine ratione & ſenſu adorat, titulos ut fas eſt æſtimemus. Fortitudinem certe, conſtantiam, integritatem, induſtriam vanis nominibus & iis quæ ipſi non fecimus præponamus. An vero majorum virtutes (quæ licet amplæ magnificæque fuêre, ſuos tamen & meritis pares fructus tulerunt) nobis æternum imputabuntur, & præter horum poſteros (qui ſæpe degeneres) alium quenquam provehere piaculum erit? Quid hoc aliud ſit quam cæteris ſtudium & voluntatem rei bene gerendæ eripere; & adimere illam, qua omnes ad virtutem ducimur, gloriam? Itane paucarum omnes familiarum hæreditas erimus, & libertas inane nomen ac vulgi luſus erit? Laudo profectò & ad cælum tollo magnos illos viros, qui patriam noſtram ab exiguis & contemptis initiis ad iſtud divitiarum & honoris faſtigium evexerunt. Laudo illos & admiror, ſed non cæci more vulgi ita laudibus illorum præſtringor, ut non aliis quoque virtutis ſuæ exercendæ & gloriæ acquirendæ locum relinquam. Demus, quæſo, amplum unicuique virtutum ſuarum explicandarum campum. magni faciamus præterita, ſed ne præſentia idcirco parvi pendamus. Habuêre illi meritorum ſuorum dignos præcones, habeant

& hi ſuorum facinorum, quæ priſcis minime cedunt, æſtimatores. Ciceroni & Mario novis hominibus non invidit vetus illa reſpublica, neque minoribus elogiis aut titulis honoravit quam Appios aut Cornelios. Illum enim patriæ patrem, quo illuſtrius cognomen, dum libera fuit, non habuit, neque poſt Cæſaribus ſuis adulatoria ingenia quod induerent reperire potuerunt, vocavit; hunc ſepties conſulem, qui honos nulli ante alii obtigerat, creavit. Imitemur ut in cæteris cum gloria & utilitate fecimus, hac quoque in parte illud optime conſtiturarum civitatum unicum exemplar, quo perfectius & conſummatius natura vix vidit, nec fortaſſis unquam viſura eſt. Sed ſicut hi illuſtres germani patrati belli gloriam magna ex parte meruerunt, ita alii fortiſſimi viri non minori jure illam ſibi vendicant. Ut jam taceam de heroibus noſtris, qui victoriarum ſuarum ſuperſtites de patria indies bene merendo majorem gloriam, plures laureas & triumphos expectant, quorumque laudibus enumerandis nec tempus nec ingenium meum ſufficeret; illos ego modo cogito, illos mente intueor & ſtupeo viros, qui vitam ſuam patriæ ſaluti poſthabuerunt, qui ſanguine ſuo has nobis inclytas victorias & honorificam pacem redemerunt. Quot autem fortia pectora hoc bellum non conſumpſit? quot bellicoſa

capita

capita non abſorbuit Oceanus vel potius Orcus ille Britannicus? Sed quid ego vos mortuos dico, illuſtres animæ? non ſanè, non mortui eſtis, ſed etiamnum per gloriam vivitis, & vivetis per omnium ſæculorum memoriam. Cui enim hujus perluctuoſi belli hiſtoriam (quæ dum ſtabit reſp. Batavorum, quam æternam vovemus, non excidet hominum animis) revolventi non ſtatim in oculos incurrant Waſſenarii, Cortenarii, Stellingwervii, Everhardii, Hulſtii, Hiddeſii, Bankertii, totque alii, qui morte ſua amorem in patriam conſecraverunt? Quis illos aliter conſideret quam virtutis & æternitatis nomina, quam exempla & ſpecimina, quæ (ut Miltiadis olim trophæa Themiſtoclem) generoſos ſpiritus requieſcere nunquam ſinent; quæ ad ſui imitationem Batavos omnibus ævis incitabunt & impellent? Quid mihi heroas veſtros, Codros, Leonidas, Epaminondas, jactas Græcia? quid Decios, Paulos, Scipiones, tanquam virtutum miracula & prodigia extollis Roma? Batavia noſtra hoc ſæculo viros produxit quos utrique opponamus; qui non minus ac illi pro libertate & imperio patriæ ſe morti lubentes obtulerunt; qui in confertiſſimos hoſtium cuneos ſe immergendo, ut cives deprehenſos illorum manibus eriperent ac liberarent, fata ſua accelerare non dubitaverunt; qui patriæ victo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

victorias neci ſuæ imputari & vitam ſuam in reip. ſalutem impendi ultro affectaverunt; qui denique pacem & otium civibus ſuo exitio contuliſſe lætati ſunt. Hi enim fuerunt qui vitæ ſuæ contemptu, quo vitæ hoſtium domini facti ſunt, effecerunt, ut inſolentiſſimi illorum animi minuerentur; ut viderent, cum viris fortibus & Batavis ſibi rem eſſe; & facilius victoriam de rep. noſtra mente præſumi quam armis reportari; eſſe nobis adhuc viros qui libertatem corpore & imperium vita cariorem habeant, & qui malint liberi mori quam ſervi vivere. Heu quam diſſimiles his & diſpares, libertateque ac mitiſſimo quo gaudemus imperio indigniſſimi, qui cæca habendi aut dominandi libidine præcipites acti, rempubl. prodere & immitiſſimo hoſti vendere conati ſunt? O improbos & ſceleſtos homines! Quæ mentes veſtras occupavit inſania? quis furor ad tantum facinus impulit? ut patriam veſtram, à qua tot beneficiis cumulati eratis, quæ vos ſummis honoribus auxerat; tam indigne deſerere & externi principis jugo ſubjicere in animum inducere potueritis. O monſtra in ultimas terras avehenda! O labes & dedecora ſæculi! Sed benè habet; quod ſcelus veſtrum & parricidalis conſpiratio mira Dei patriæ cuſtodis providentia diſcuſſa, & vobis dignum meritis ſupplicium conſtitutum ſit. Sic dein-

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

de quicunque alius Batavis dominum imponere tentabit. Quanto melius illi honeſti & egregii cives, qui ſua bona noſſe,& gratiam bene de ſe meritæ patriæ rependere didicerunt? qui juſto pretio libertatem æſtimantes Attalicis gazis,& regio diademati,magno illi Fabricio ſimiles, prætulerunt: qui non inſtantium hoſtium vultu aut minis, non mortis ipſius, licet terribilium terribiliſſimi, metu perculſi, patriam noſtram tam indulgentem, tam beneficam matrem,quæ tot bona cæleſtia & terreſtria quotidie in nos liberaliſſimè effundit, vel vitæ ipſius diſpendio haud tueri & defendere non modo magnam ingratitudinem, verum etiam nefarium parricidium eſſe cenſuerunt. Deus opt. max. ſimilem mentem nobis, ſimilem liberis noſtris & poſteris donet; ut quemadmodum illi Auriacos, Naſſovios, Heemskerkios, Heinios, Trompios, alioſque innumeros, quorum memoria nobis venerabilis & ſacroſancta eſt, imitati ſunt, ſic nos viciſſim illorum virtutes & fortia facta imitemur. Ita reſpublica noſtra, ſive illi pacem & otium divinum indulſerit numen, ſive bello acuere & exercere voluerit, æternum vigebit atque florebit.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

ERRATA.

Pag. 26. v. 13. pro *Oriri* lege *Ordiri*. p. 29. v. 8. pro *medium* lege *medicum*. p. 34. v. 4. pro *omni* lege *ipſa*. p. 47. lin. 5. GROEVII, lege GRAEVII. p. 57. v. ult. pro *vivi* lege *viri*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

96
620 v. Ap
ƒ :17:–

1:11½:–

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]